



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

Dissertatio IV. De justitia, & injustitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

Domino, ad quem ante commixtionem res spectabat, saltem dum fur potens est restituere, quia fur fuit effectus Dominus rei, ergo hujus Dominium transfert in accipientem ab eo sine onere restituendi, fur enim tenetur priore loco Sanch. *Lib. 2. Dec. 6. 23. num. 34. in fin.* citans Molin. *Disp. 719.* Si fur vi

tux acceptationis evadat impotens restituendi, opinio communis te damnat restitutionis, tibi enim imputatur impotentia ob cooperationem dum malâ fide accipis, si bonâ, probabiliter deobligaris ex sententia Tambur. *Lib. 8. Dec.*

tract. 3. c. 3. §. 4. num. 25.



DISSSERTATIO IV.

De Justitia & injustitia.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Justitia.

§. I.

Quid? & quoruplex sit Justitia?

275. **J**ustitia hic strictè sumitur pro virtute speciali morali, una ex quatuor Cardinalibus, cujus essentia est quod sit ad alterum, proinde hominem unum ordinat ad alterum ab operante, sive realiter, sive fictione juris distinctum tradendo illi jus ad rem, vel jus in re, proinde dando illi, quod suum est, seu id ipsum, ad quod jus adfert.

Porro tripliciter homo potest unus ordinari ad alterum, nempe ut pars ad

partem; in hac consideratione unus habet jus ordinatum directè in bonum suæ libertatis, & alter sustinet debitum adimplendi jus illud, in hoc sensu etiam privatus cum Principe, particularis cum communitate, privatus cum privato consideratur tanquam pars cum parte. Secundò ut pars, seu membrum ad communitatem habens jus ad bona communitatis quæ talia. Tertiò ut communitas habens jus ad bona cujusvis membri ut talis.

Hinc

Hinc triplex resultat suitas ex totidem juribus, si enim id, ad quod affert Justitia jus, est proprium alicujus principaliter ad ejus bonum ordinatum, dicitur suum suitate proprietatis: si id, ad quod affert jus, est commune distribuendum, seu ordinatum ad bonum & libertatem membrorum illius communitatis, vocatur suum hujus membri suitate communitatis, etsi quandoque id, quod distribuitur per distributionem approprietur membri, consequenter ex suo suitate communitatis evadat suum suitate proprietatis, ut si bona communia redundantia distribuuntur inter membra, aut tempore indigentiae frumentum, pecunia, &c. dividatur. Si demum id, ad quod Justitia affert jus, est bonum respectu communitatis allatum à membro ut tali, dicitur suum suitate membri, quatenus membrum debet consulere bono communi quod fit ordinando actiones suas ad bonum commune, uti enim bona totius sunt quasi bona partis, ita bona partis sunt quasi bona totius.

Ex his infertur triplex Justitiæ species, videlicet commutativa, distributiva & legalis, ex S. Thom. q. 58. Art. 5. juncta q. 61. Art. 1. Commutativa enim respicit jus partis ad partem seu proprietatis communiter, & per se intendentis æqualitatem arithmeticam inter partes, seu inter debitum unius, & jus alterius, Distributiva respicit dignitatem, seu meritum majus, aut minus partium, dum his distribuit bona communia, quapropter attendit æqualitatem proportionum inter communitatis partes, ita ut si digno ut duo dentur quatuor, digno ut quatuor dentur octo, & ideo dicitur proportio proportionum, seu æqualitas geometrica

consistens inter quatuor ad minimum terminos, videlicet inter meritum majus unius, & minus meritum alterius, ac inter bonum commune majus collatum uni, atque minus collatum alteri. Legalis respicit bonum commune, propter hoc enim in Principe imperat, ac in membris exequitur omnium omnino legum observantiam, id est, actus virtutum omnium: finis hic illius proprius est, & intrinsecus.

Infertur secundo tria præfata jura, & suitates esse specie formali diversas, atque ideo tres præfatas virtutes esse invicem specie diversas, quia virtutes specificantur intrinsece per ordinem ad suum objectum proprium, & principale.

276. Dico Justitiam ut sic bene definiri à Theologis cum S. Thom. q. 58. Art. 1. ex Ulpiano L. 10. ff. de just. & jure quod sit constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens, probatur explicatione: per *ly voluntas* intelligitur habitus acquisitus naturalis facilians voluntatem ad actus alteri tribuentes jus suum, nempe vel suitate proprietatis, ut tribuit justitia commutativa: vel suitate communitatis, ut distributiva, vel suitate membri, ut legalis: & sic definitio est communis omni justitiæ proprio tali, unde *ly suum* in definitione præscindit à jure rigoroso seu proprietatis, & à minus rigoroso, ut complectatur etiam jus justitiæ distributiæ & legalis. *Ly constans & perpetua* significat, quod immobiliter, & omni tempore, ac in quavis materia inclinet ad præfatos actus. *Ly jus suum cuique tribuens* est differentia à virtutibus, quæ non sunt ad alterum.

Duplices sunt partes justitiæ, aliæ subjectivæ, aliæ potentiales, potestativæ. Subjectivæ sunt, quæ perfectè participant definitionem justitiæ, quales sunt solæ tres expositæ species, reddunt namque æquale jure suo. Potentiales sunt, quæ in aliquo participant universalem rationem definitionis justitiæ, in alio autem ab eadem deficiunt; ut Religio erga DEUM, pietas erga parentes, observantia erga viros virtute præditos, virtus enim ab homine nequit compensari æquali præmio, minus [pietas honorem parentibus debitum], aut Religio cultum æqualem excellentiæ DEI præstare. Aliæ virtutes ad alium debentur huic titulo honestatis citra obligationem, & titulum suitatis, ut gratitudo, liberalitas, amicitia, affabilitatis.

Infero licet æqualitas tributorum sit proportionalis, & geometrica, eorum tamen distributio, ac impositio non est actus justitiæ distributivæ, quia hæc vir-

tus directè, & immediatè attendit ad merita, seu dignitatem membrorum, tributa autem non respiciunt jus membrorum sed potius jus altum Principis, qui tamen prohibetur à justitiâ commutativa, ne minus subditorum oneretur ultra vires, ad hoc enim quisque habet jus strictum Hænnold, *tract. 2. n. 109.* vicissim etiam Princeps habet jus strictum supposito alto Dominio exigendi tributum necessarium per *n. 195.* Et ideo exactio justa tributorum eorumque persolutio est actus justitiæ commutativæ.

Pro solvendis contra definitionem justitiæ Nota primo: quod etsi natura justitiæ nunquam inclinet ad defectum sed semper ad justum, voluntas tamen per alium actum contra naturam justitiæ injuste agere potest. Secundò sicut non datur justitiâ erga se ipsum, ita nec injustitiâ, unde se ipsum occidens non est injustus sibi, sed Reipublicæ, & DEO.



§. II.

De objecto formali Justitiæ.

277. **D**ico primò objectum formale justitiæ commutativæ relate ad personam *eius*, est ipsum jus activum proprietatis: relate verò ad objectum, quod debetur, est ipsum jus passivum, hoc est, ratio debiti. E. g. vendidisti Petro equum centum aureis, jus activum est potestas tibi competens ad centum aureos nondum persolutos, jus passivum est ratio debiti

denominans centum aureos tibi debitos. Justitiâ respicit duplex objectum, unum *eius*, nempe personam, cui quid debetur ex justitiâ; alterum est objectum *quod*, nempe id, quod à debitore est creditori præstandum.

Probatum nunc cum Lessio *L. 2. c. 2. n. 5. & 7.* illud est objectum formale virtutis, quod est ratio amandi finem ad quem

quatum, sed hæc ratio est dictum utrumque jus, quia finis adæquatus justitiæ commutativè coalescit ex fine *cui*, qui est persona, erga quam actus justitiæ exercetur, & sine *qui*, seu ex eo quod debetur fini *cui*, atqui ratio amandi dictum finem *cui*, & *qui*, est jus activum, & passivum: nam quod actus justitiæ exercentur erga hanc personam præ alia, ratio est ipsum jus activum residens in hac persona præ alia, quod autem exercentur in hac materia præ alia, est ipsum jus passivum, seu ratio debiti, hoc est, quod hæc res præ alia debeatur.

Infero primò objectum formale justitiæ commutativæ non esse specialem honestatem relucentem in actu externo justitiæ, seu restitutionis bonorum fortunæ, & famæ. Est contra plurimos, quia objectum formale justitiæ debet debitorem ordinare ad alterum, quod non præstat dicta honestas, hæc enim ordinat debitorem ad proprium subjectum, quia ad illud solum ordinat, cui est honesta restitutio, hæc autem est honesta soli reddenti, igitur actum ordinatum ad alterum amat ut ad se vi honestatis ordinatum, ergo ut amet ut ordinatum ad alterum, movere debet jus alterius, & ratio mei debiti.

Infero secundò duplex dari odium juris activi alterius, & juris passivi, seu debiti rei debitiæ inexistentis, unum tendens in destructionem, seu negationem existentiam utriusque; alterum læsivum juris activi, & non satisfactivum debiti. Primum odium non repugnat cum actu justitiæ secùs secundum: etsi enim quis noller existere jus in altero, aut hanc rem optaret non esse debitam, potest tamen cum hoc effectu stare voluntas non læden-

di jus alterius, & voluntas satisfaciendi debito, nempe supposito quod existat jus, & debitum: Justitia enim non obligat ad amorem existentiam juris, & debiti, sed ut his non contraveniat ex hypothesi, quod existant. Velle itaque existentiam præcisè juris alterius non est velle objectum formale justitiæ, secùs velle jus alterius intactum, seu inviolatum,

Infero tertio Exercens actum justitiæ vult à se amoliri debitum quoad rationem existentiam non quoad rationem illi satisfaciendi.

Infero quartò justitiam commutativam non esse speciem atomam, sed subalternam, hoc est plures sub se species habentem, quia pro diversitate juris proprietatis, & debiti est specie diversa, habet autem plures specie diversas proprietates juris, specifica enim ratio proprietatis desumitur à bono, quod juri subest, hoc est autem plurificatum specie, bonum enim vitæ specie morali differt à bonis fortunæ, & utrumque hoc genus à bono famæ, Amicus *Disput. II. n. 141. de jure & just.*

278. Dico secundò objectum formale justitiæ distributivæ non est jus strictum in bona communitalis principaliter respiciens utilitatem communitalis, secundario verò utilitatem privati contra *Esparzam q. 18.*, sed jus minus strictum fundamentum in majore, vel minore dignitate, seu merito partium comunitalis, ad participanda bona comunitalis *Lugo D. I. n. 47.*

Ratio primi: quod membrum comunitalis (cui comunitas, aut hanc representans conferret officium) ante hujus collationem haberet jus strictum ad rem, quod post collatum officium transiret in strictum jus in re: quia autem officium tenetur

netur administrare principaliter in commodum communitatis, sequitur quod communitas loco juris in re per collationem officii amissi acquireret jus strictum ad rem respectu ejusdem officii: proinde E. g. Capitulum conferendo alicui Canonico beneficium sibi metipsi conferret jus ad rem respectu beneficii, quod repugnat, cum nemo valeat sibi ipsi conferre jus, & justitiam strictam erga se exercere.

Ratio secundi est: quod objectum formale justitiæ sit jus, ut constat ex definitione justitiæ, ergo una justitia ab alia diversificatur penes jus diversum, sed justitiæ commutativæ formale est jus rigorosum, quale nequit esse justitiæ distributivæ, ut modo probatum est, ergo est minus rigorosum, hoc nequit esse aliud, quam dignitas major, minorve civium ad bona communitatis, quæ vicissim est obstricta debito minus stricto plus dare digniori quam minus digno.

Dices differentia justitiæ distributivæ, & commutativæ sita est in eo, quod hæc intendat æqualitatem Arithmeticam, illa geometricam explicatam n. 275. Respondeo etsi id regulariter contingat, non tamen universaliter, quia aliquando etiam Justitia commutativa intendit æqualitatem geometricam. Primò in relicto legato communitati pauperum inter eos distribuendo juxta singulorum inopiam. Secundò in debitore inæqualiter pluribus obligato, ut si debes Petro 300, Cajo 200, Titio 100, si nequis totaliter solvere, debes proportionaliter nempe si Petro das 200, debes Cajo dare centum & Titio 50.

279. Dico tertio objectum formale justitiæ legalis est bonum commune, ita

receptus S. Thomas q. 58. Art. 6. Probatur: datur aliqua virtus, cujus munus sit observantiam totius legis, seu actus virtutum omnium ordinare ad bonum commune, velut finem suum intrinsecum, seu formale objectum, sed talis virtus non est alia à legali, E. g. pietas erga Patriam ob beneficium ortus promovet quidem bonum commune &c. nulla tamen ordinat partes communitatis, ut partes ejus sunt ad promovendum bonum commune propter idem bonum commune præter legalem, quæ in Principe ordinat partes imperando illis ut leges observent propter bonum commune, in subditis verò imperata exequendo. Hinc quoad prædicata intrinseca est eadem in Principe, & subditis quia ex eodem formali objecto tam hi, quam ille operantur.

Infero primò etsi per n. 276. tum justitia distributiva tum legalis, tum commutativa perfectè participant rationem justitiæ ut sic, sola tamen commutativa est in omni rigore justitiæ, quia hæc sola habet pro objecto formali jus rigorosum seu proprietatis, & est perfectè ad alterum, neutrum habet distributiva, & legalis.

Infero secundò justitia vindicativa non est pars subjectiva, seu species justitiæ relatè ad reum puniendum, quia hic nullum habet jus ad sui punitionem, nec fit illi injuria, sic non puniatur, relate autem ad rempublicam est justitia commutativa respiciens jus strictum in Republica & strictum debitum in judice de pœnam delicto proportionatam infligendo. Porro dictum jus resultat ex contractu sive explicito sive implicito, vi cujus judex acceptando officium se obligat, quod velit proportionaliter punire

Hinc

Hinc Judex inferior nequit p[œ]nam remittere, quia secundum leges à Principe laras tenetur bonum commune procurare, potest autem Princeps: quia remissio, aut mitigatio p[œ]n[æ] est declaratio clementi[æ] Judicis multum conducens ad bonum commune, cui etiam Princeps vi contractus saltem impliciti ex Justitia commutativa debet prospicere.

Verum quia tam supremus, quam inferior Judex est pars communis,

uterque hoc titulo tenetur ob bonum commune delicta vindicare? quapropter uterque duplici ex Justitia nempe commutativa & legali punit delicta: legalis enim ex suo motivo imperat executionem, quam exequitur commutativa.

Ex his concluditur, quod Judex ex commutativa Justitia debeat resarcire damna, quæ defectu vindicationis patitur communitas aut privatus offensus.



§. III.

An sola Justitia commutativa obliget ad restitutionem?

280 **R**espondeo affirmative cum ferè omnibus Theologis apud Gormaz *Disput. 1. n. 18. Ex S. Th. hic q. 62. Art. 1. in restitutione, inquit, attenditur equalitas justitia secundum compensationem rei ad rem, quod pertinet ad Justitiam commutativam.*

Probatum ea sola Justitia obligat ad restitutionem, quæ læsâ tollitur alicujus proprium, aut impeditur, ne fiat proprium, quod debebat fieri proprium, sed sola commutativa est talis, secus legalis, & distributiva, nam Petrus omittens elicere actum virtutis, aut eliciens eum, quin illum ordinet ad bonitatem Republicæ nihil ex hoc tenetur huic restituere, hinc Princeps, vel Respublica negligens bona communia conferre membris juxta meritorum proportionem ad nullam tenetur restitutionem, quia Petrus ibi nullum jus strictum in communitate, nec Prin-

ceps in membris ullum jus rigorosum violat, violaret autem si pacisceretur cum membris, quod juxta merita velit præmiare victoriosos contra hostem, quia tunc intervenit Justitia commutativa ex pacto resultans.

281. Objicies primò distributor bonorum communium non distribuens V. g. officia fideliter, id est, non servatâ proportionem geometricâ juxta particularium merita, peccat etiam contra Justitiam commutativam, ergo etiam commutativa distribuit bona communia secundum jus ad ea particularibus inhærens. Secundò iniqua distributio est contra jus proprietatis in casu, quo ex Testamento aliquo deberet communitas distribuere in particulares juxta cujusvis dignitatem, ergo etiam Justitia distributiva respicit jus strictum in membris, & obligat ad restitutionem.

N n

Res

Respondeo ad primum Distinguo antecedens peccat contra Justitiam commutativam titulo juris particularium nego antecedens, titulo juris proprietatis, quod habet Respublica adversus distributorem concedo antecedens; hic enim vi patet se obligat Reipublicæ, quod velit officia distribuere secundum dignitatem particularium, unde non fit stricta injuria his præteritis et si dignioribus, sed Rei-

publicæ, & huic ex Justitia commutativa tenetur resarcire damna ex indignè collatis officiis secuta, aut bona impedita, sic distincto antecedente nego consequentiam. Ad secundum Respondeo cum Lu. go ex S. Thom. quod eo casu non nisi apparenter esset distributio, re ipsa autem fore solutio ex Justitia commutativa ob jus ad rem vi Testamenti acquisitum in particularibus.



ARTICVLVS SECVNDVS.

De Injustitia in distributione sæcularium officiorum & Ecclesiasticorum beneficiorum.

§. I.

De vitio Justitiæ distributiæ circa officia sæcularia.

LEge hoc infra à num. 554.

§. II.

De vitio opposito justitiæ distributiæ circa beneficia Ecclesiastica.

DE hoc vide num. 557.

§. III.

Continuatur materia de vitio circa beneficia Ecclesiastica.

Quam lege infra à num. 566.

AR.



ARTICVLVS TERTIVS.

De Injustitia in bonis fortunæ, seu furto.

§. I.

Quid, & quotuplex sit furtum? qua ejus differentia à rapina? & an volenti fiat injuria?

282. **D**ico primò furtum non est *occulta rei aliena acceptio invito Domino*, sed est, *occulta acceptio rei ab alio justè detenta invito rationabiliter detentore*, Haunold, tract. 2, num. 252, contra pleròsque primæ parti faventes.

Probatur: debitor accipiens occultè pignus à creditore, locator rem locatam, deponens depositum à depositario committit furtum, quin accipiat rem alienam, aut invito hujus Domino, sed suam, ipsèque est ejus Dominus, quia tamen alter est justus ejus detentor, fit ut hoc invito usurpans rem furtum committat.

Differt furtum à rapina, quod hæc illi superaddat violentam acceptionem, quæ secundum juridicam considerationem requirit, ut vel factò impetu res rapiatur, vel alter cogatur dare, Haunold, n. 263. concedens Molina sufficere ad Rapinam Theologicè, quod quis metu injusto compulsus det, eo quod injuria per metum, & violentiam facta non differat specie

Theologicâ secùs juridicâ, quia diversas pariunt actiones.

Rapina igitur duplicem continet injuriam unam realem contra jus proprietatis in rem, alteram personalem, seu contra proprietarium; hinc differt specie à furto.

Dixi in conclusione *invito rationabiliter detentore*, sive rei Domino, id est, ad furtum requiritur, ut Dominus ex causa justa positivè repugnet repugnantia saltem habituali, seu in animi dispositione, quod fit, etsi actu non contradicat, contradiceret tamen si sciret. Quando est simpliciter invitus, quod fit res accepta, dicitur invitus quoad substantiam, quoad modum verò, quando est præcisè invitus, quod fit res accepta taliter nempe occultè, seu non petita veniâ.

Ut sit furtum necesse est Dominum esse invitum quoad substantiam. Hinc sæpe à furto excusantur filiorum, uxorum, Religiosorum, & famulorum acceptiones rerum spectantium ad parentes,

maritos, &c. præterea debet esse invitus rationabiliter, quia si non est causa justa in Domino contradicendi, etiam non est furtum, ut fit in occulta liquidi debiti compensatione non facile aliàs acquisibilis.

Infero furtum hominis, sive plagium (hoc crimine tenentur non tantum illi, qui dolose homines intercipiunt, ac supprimunt; sed etiam qui scienter dolo malo liberum hominem invitum emunt, vendunt, celant, vindictam habent, Haunold, num. 252. ex legibus ff. & codicis) furtum rei ad fiscum spectantis, sive peculatus; furtum alieni pecoris, sive abjegatus; furtum nocturnum & diurnum; manifestum, & non manifestum (manifestus fur in jure dicitur, qui deprehenditur cum re furtiva, non tamen ex abscondito, L. 2. & sequent. ff. de furtis) etsi multum differant juridice propter penas diversas jis statutas, non tamen differunt Theologicè, uti nec damnificatio, seu destructio rei differt moraliter à furto (etsi non veniat sub ratione facti, unde hoc reservato, ea non reservatur, Lugo Disp. 16. num. 9.) quia Dominus æque est invitus sive res destruat sive non.

Prima tria furti genera, uti etiam furtum Sacrilegum, seu rei sacræ, aut profanæ pertinenti ad Ecclesiam ac hujus custodiam deputatæ, dicuntur furta qualificata, quæ secundum jus digna sunt majore pœnâ. Furtum Sacrilegum est etiam specie diversum, utpote oppositum Religioni, ac Justitiæ, cætera furta dicuntur simplicia.

Quæres primò an sit fur auferens moroso debitori, quantum sibi debetur? Secundo an detentor rei inventæ sciens

Dominum, aut debitor non inquirens eum, sit civiliter habendus pro fure? Tertio an præsumatur fur, in cujus domo res furtiva reperitur. Respondeo ad primum contra quosdam negativè quia non aufferit animo lucrandi, sed se indemnem servandi Haunold, tract. 2. n. 273. Respondeo ad secundum cum eodem n. 274. affirmativè ex claro textu L. 43. §. 4. ff. de furtis. Respondeo ad tertium cum eodem num. 273. ex Anton. Perez negativè, nisi aut sit homo improbus, aut clam, aut vili pretio, aut sapius à fure emerit; in his enim casibus est præsumptio contra eum, nisi, aut furem, aut Authorem suum, à quo emerit, ostendat, L. 5. C. cod.

283. Dico secundò volenti volitione efficaciter cessiva juris non potest fieri injuria, secùs si cessio sit inefficax, qualis est toties, quoties jus naturale, aut positivum divinum, aut humanum facit voluntatem inhabilem, ad cedendum juri. Est communis cum Lugo Disp. 8. Sect. 1. Probatur injuria formalis Theologica est actio, aut omisio contra jus alterius, sed dum voluntas efficaciter cedit juri, nequit esse contra jus alterius, est verò talis, dum efficaciter non cedit, ergo.

Infero primò occiso etiam consentienti in necem fieri injuriam, quia occisus non est vita sua Dominus per n. 22.

Infero secundò Papillus, & minorennis consentiens in ablationem rerum suarum non impedit injuriam, quia jus illum inhabilitat ad cessionem Domini. Hinc etiam percussio Clerici est injuriosa, licet consentiat, quia privilegio Canonis, & fori residenti in toto Clero nequit validdè cedere.

Infero

Infero tertio marito fieri veram injuriam, licet det consensum in uxoris adulterium; quia uxor independentè à viri consensu obligatur vi contractus matrimonialis adhærere soli marito. Gen. 2. *adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, atqui obligatio vi contractus est obligatio ex Justitia Cardenas *ad proposit. Innocent. XI. Dissert. 30. n. 24.*

Infero quarto solutio usuræ respectu fœneratoris, & pecuniæ promissæ la-

troni, aut cujusvis promissionis gravi metu injustè extortæ non cessat continere injuriam, quia nullo titulo transfertur jus in fœneratorem aut latronem; non in fœneratorem titulo mutui, aliàs transiret in illum jus ex debito, repugnat autem ut titulo mutui sit debitum dandi usuras; Pariter in latronem nequit transferri, nisi mero titulo promissionis gratuitæ quæ, ut transferat, debet esse libera ab omni coactione.

§. II.

An furtum sit peccatum ex genere suo mortale, & unde ejus materiæ gravitas desumatur.

284. **D**ico primò furtum est peccatum ex genere suo mortale cum S. Thom. *quæst. 66. Art. 6.* est de fide ex 1. Cor. 6. *Neque fures, neque rapaces Regnum DEI possidebunt, & ex præcepto septimo Decalogi, non furtum facies*: prohibita autem in Decalogo esse ex genere suo mortalia docet Christus Matthæi 19. requirens Decalogi observantiam ut necessariam ad salutem. Ratio est: quod illud sit mortale, quod ex proprio suo objecto gravitatem continet, sive ut loquitur Haunoldus cujus levis prohibitio non sufficit ad præcavenda damna ex peccato secutura, si hoc non esset graviter prohibitum; tale autem est furtum.

Difficultas modo est, quanta debeat esse materia, ut ex genere suo furti objectum contineat gravitatem? concordant

omnes, requiri quantitatem, quæ ablatâ proximo inferat notabile damnum, at hoc ipsum non constat, quantum esse oporteat illud; ut notabile censeatur. Hac in re quot capita, tot serè sententiæ.

Duo sunt extremè oppositæ, ad quarum unam referuntur cæteræ: Prima negans dari quantitatem absolutam in persona extranea, quæ respectu omnium statuum hominum sit notabilis, sed duntaxat respectiva, id est, per ordinem ad personæ furto damnificatæ fortunas magnas, vel medicores aut pauperes, item ad tempus, scilicet, an sit rerum Caristia, aut abundantia; ad locum, ubi magna, aut exigua reperitur pecunia, dum hæc aufertur. Ratio, quia gravitas furti provenit ex damno proximo injustè illato, atqui non omnes patientur æqua-

le damnum semper, nec ubique ex eadem re ablata, ergo rei ejusdem ablatio nec respectu omnium, nec respectu ejusdem omni tempore, & loco est æquale damnum, ergo ut sit grave damnum major requiritur materia respectu unius, quam alterius. Hanc sententiam docent plurimi distinguentes quatuor horum classes.

Prima comprehendit Reges, & magnos divites (secundum Haunoldum ille solum dicitur formaliter dives, qui abundat rebus ultra quam sit necessarium ad conservationem sui status, quem profiteretur) five illos omnes, qui secundum statum suum splendide alunt familiam.

Secunda communes seu mediocriter divites, Tertia mechanicos, seu ex arte, & opere viventes, Quarta pauperes seu mendicato viventes,

Respectu primæ classis asserunt esse gravem materiam unum aureum, alij scutum, seu coronatum. Respectu secundæ quatuor regales, five argenteos, italicè Julios, valet autem Julius apud Busenbaum nostrates undecim crucigeros, secundum Laym. *L. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. num. 2.* quatuor, aut quinque pazos Respectu tertiæ duos regales & respectu quartæ unum, à qua sententia non multum discrepat Laym. *num. 3.*

Coincidit Gormaz *Disput. 13. n. 693.* docens ut pensetur gravitas injuriæ in bonis fortunæ attendendam esse qualitatem personæ, postea *num. 699.* statuit, quod sufficit ad materiam gravem unius diei victus personæ, cui sit furtum, proportionatus, hanc autem victus proportionem exponit à *n. 712.* advertens victus nomine hic intelligi solum esum, & potum (sectus vestitum) necessarium ad vitam alen-

dam exclusis delicijs, & delicatis cibis, proinde se extendentem ad parvas alimentas unicuique necessarias, & proportionatas personæ, cui sit furtum; earum valorem respectu pauperum asserit esse unum julium, respectu Regis valorem unius scuti, tandem *num. 718.* concludit, victum præfatum unius diei ita esse materiam gravem furti, ut omnis ea minor censenda sit levis, ne autem lector legens apud Doctores quatuor allatas classes patriarum æquivocationem, Notat ad materiam gravem non requiri in quavis classe integram quantitatem relatè ad quodvis individuum sub illa contentum, cum inter individua scujusvis aliqua diversitas inveniri possit prudentum judicio solum metiendi: unde per illam classium distinctionem significatur, quod E. g. in prima aureus aut scutum relatè ad omnes sit materia gravis, & sic de reliquis.

Secunda sententia contendit pro quantitate absoluta assignanda (non habita ratione personarum, quibus sit furtum) sufficientem ad mortale ex objecto, seu ex genere suo etiam respectu ditissimi Principis. In hac autem assignanda mire variant Doctores. Navarrus enim determinat dimidium julium; Salas unum; Lessius cum Medina duos, Valentia cum Rebello tres, Sanchez cum communione quatuor, Vega quinque. Giannus quantitatem congruæ sustentationis hominis plebæi unico die pro cibis ordinarijs, vestitu & habitatione sufficiente ad bonam sui conservationem absque luxu, qualem cibum, & potum communiter habent cives & opifices. Hanc sententiam approbat Haunol. *tract. 2. n. 329.* eam brevius comprehendens, nempe mercede diurnâ, quam Plebeius opifex mere-

meretur, opifex inquam, qui non sit merus operarius (qualis est fossor, cui merces diurna est) gravis materia respectu eorum, qui non habent pingues facultates secundum Molina. *Disput. 585. n. 2.* aureus autem respectu cujusvis etiam Regis) quam mercedem in Bavaria vicinisque partibus putat communiter esse medium florentinum.

285. Dico secundò esse nimis laevam, & improbabilem Sententiam asserentem apud Petrum Navar. *L. 3. de ressit. c. 1. n. 31.* nec centum aureos sufficere ex natura rei ad mortale furtum, uti etiam Bannez *2. 2. q. 66. Art. 6.* excusantem à mortali filium furantem prædixit Patri quinquaginta aureos, & officialem Regium dispensatorem multorum millium aureorum, usurpantem 100. aut 200. Ratio: quia prudens ferè omnium judicium tantæ summæ jacturam ex se considerata censet gravem, & quia etiam plerique prudentes viri existimant, unum aureum esse gravem materiam, sententia postulans plus duobus aureis videtur esse evidenter falsam. Ex opposito opinio Navarri de dimidio Julio, & Salas de uno ex opposito prudentum consensu etiam est falsa; Lessij, Valentia, & Rebelli accedit ad nostram mox asserendam.

Sententia stans pro quantitate respectiva est practicè probabilis, utpote gravissimorum Doctorum, uti sunt Lugo, Laym, Bonnacin, aliique plures: probabilior tamen mihi videtur assignans quantitatem absolutam sufficientem ad vitam nostram diurnam commodè transigendam in sensu Haunoldi & Giatini expositam, qualis vita est media inter pauperiores, & ditiores, horum enim vita est nimis

splendida, pauperum verò nimis misera, ergo media est commoda (hæc sententia etiam respectu Principis plus non requirit, uti requirit Gormaz cum alijs victum proportionatum personæ, cui aufertur) unde cum non ubiquè eadem summa pecuniæ sufficiat, quo commodo diurno victu, quanta tali tempore, & loco est necessaria, tanta requiritur ubi pro mortali furto, ita, ut infra eam quantitas censenda sit levis.

Pars prima de probabilitate practica respectivæ quantitatis suadetur tum auctoritate Doctorum tum praxi confessoriorum, ac solutione Argumentorum contra eam objectorum ab Esparza, quæ solvit Haunold, à n. 292.

Pars secunda, de probabiliore quantitate absolutæ probatur: Ea quantitas sufficit pro furto mortali, cujus ablatio in Substantia nocet cuivis graviter; sed ablatio quantitatis sufficientis ad commodam diurnam sustentationem cuivis graviter nocet, ergo. Major est omnium minor probatur, ejus quantitatis ablatio cuivis graviter nocet, quæ impedit finem in bonis fortunæ à natura intentum: finis enim in his bonis principaliter intentus non potest non esse magnum naturæ commodum; e contra ejusdem impeditio & jactura necessario graviter cuivis nocet, hunc finem impedit ablatio quantitatis sufficientis pro commoda diurna sustentatione: vita enim est primum hominis bonum, fortunæ bona natura destinavit primario ad vitam alendam, ergo naturæ finis in fortunæ bonis principaliter intentus est commoda diurna sustentatio, nempe ne sentiamus molestias famis, & sitis, & similia, ergo, ejusmodi medium à natura principaliter intentum est valde vi-

ta commodum, utpote depulsum tanti diurni incommodi, ergo etiam à contrario ablatio aut impeditio talis medij depulsi tanti mali, quale est fames & sitis urgens diurna est graviter vitæ incommoda, seu graviter nocet.

Pars tertia sequitur ex secunda: quia quantitas insufficientis ad congruam sustentationem à natura principaliter intentam ex nullo capite censenda est materia gravis, unde dato quod florenus medius sit valor commodæ congruæ sustentationis accipiens unico obulo minus non peccat mortaliter mortalitate furti. Haunold. n. 330. post Tannerum, nam etiam in naturalibus sæpe minimæ qualitatis aut quantitatis adjectione tota natura mutatur: sic lignum de non igne transit in ignem adjecto solo gradu octavo caloris, gutta unica adjecta cæteris mergit navim, ictus de se levis additus prævijs, occidit alias non moriturum, unde nego quod ægre prudenter ferre possit is (qui bene ponderat diminutionem unius obuli) si in hac suppositione quis fureretur illi minus obulo, quam sit medius florenus: unde obulus est ultimum indivisibile constitutivum medij floreni.

Nagandum pariter est juxta hanc Sententiam, quod comoda sustentatio in eadem Regione sit inæqualis: verum est plus insumere Principem, quam di-

vitem, plus hunc, quam communem Opificem &c. est nego illum excessum spectare ad commodum, seu ad frugalem, sed ad splendidam sustentationem.

Verum est, quod ditior defectum quantitatis sufficientis pro comoda sustentatione facilius reparer, quam communis civis, aut pauper, dum ex hoc adversarij inferunt sic: ergo non æquè sentiunt damnum, sed ubi non est æquale damnum, non est æquale peccatum furti, juxta nos autem foret æquale. Respondeo Distinguo consequens non æquè sentiunt damnum substantiale Nego consequentiam, quod unus præ alio difficilius possit reparare damnum non provenit ex Substantia rei ablata, sed ex circumstantia extrinseca, quæ accenseri debet damno emergenti, gravitas autem furti nequit desumi ex hac secundi generis difficultate, aliàs furtum 200. aureorum factum habenti annua 4000. aureorum non foret mortale, utpote facilius reparabile ob præsentiam alterius pecuniar, quam damnum unius aurei in communi opifice: igitur solum probat Argumentum, quod respectu Principis aut divitis &c. non sit mortale quoad circumstantiam damni emergentis ex reparabilitate, secus quoad substantiam. Per hæc facile soluta manent argumenta adversariorum,



§. III.

De quantitate furti mortalis in filiis, uxoribus & maritis.

286. **S**ecundum omnes apud Lugo *Di-
spnt. 16. n. 76.* quantitas suffi-
ciens ad mortale ex genere suo in perso-
na extranea non sufficit in filiis, & uxo-
ribus, quia Pater respectu filij, & Ma-
ritus respectu uxoris nequit esse æquè ra-
tionabiliter invitus quoad eandem quan-
titarum ac est respectu extranei: filius
enim est aliquid Patris, & bona hujus ali-
qualiter spectant ad filium, proinde na-
turalis amor magis conjungit Patrem cum
filio, quam cum extraneo, hoc ipso au-
tem nequit rationabiliter esse æquè invitus
respectu utriusque quoad eandem quan-
titarum; similis etiam ratio procedit in
Marito respectu uxoris.

Quæ autem quantitas in furtis filio-
rum requiratur ad mortale furtum secun-
dum omnes certa regula definiri non po-
test, sed prudentis arbitrio est determinan-
da ex varijs circumstantiis parentum,
nempe statûs, facultatum, seu divitia-
rum, paucitate, aut multitudine pro-
lium, usûs, ad quem furtiva pecunia
impensa, ætatis filij, genij paterni, nem-
pe tenacitatis, aut liberalitatis, majoris, vel
minoris affectus erga filium Summæ ac-
ceptæ, videlicet an excedat Summam, de
qua possit Pater disponere sine præjudicio
legitimæ portionis aliorum, ex quibus
patet, quod non eadem quantitas in filiis
sufficiat pro mortali furto, sed diversa
pro diversitate circumstantiarum

Unde negat Bannez filium perdivi-
tis Patris arguendum mortalis furantem
infra quinquaginta aureos, quàm Senten-
tiam merito damnat Lugo nimis lenitatis
extra filium Principis; cautius loquitur
Lessius *L. 2. c. 12. n. 66.* credens non
sufficere duos vel tres aureos. Secun-
dum Salas filius unicus Patris habentis an-
nuos 1500. aureos potest absque mortali
accipere 20, vel 30 per annum, quod Lu-
go restringit ad filium non puerum, sed
adolefcentem, cujus Pater non esset te-
nax, præsertim si ea Summa non expo-
neretur in usus turpes.

Tamburinus *lib. 8. Decal. tract. 2.
C. 3. n. 3* pro filio parentis mediocriter
divitis credit non sufficere duos florenos,
unum verò sufficere in filio Patris Mecha-
nici. Platel, *cursus Theol. p. 3. n. 779.*
asserit videri facillè in filiis requiri mate-
riam duplo majorem, quàm in extra-
neis; liberalior est Tanner. *2. 2. Disp. 4.
q. 8.* putans secluso speciali damno filium
non peccaturum mortaliter, si novies tan-
tum acciperet, quantum in extraneo con-
stituit mortale, dicit enim *n. 100.* unum
florenum accipere esse mortale respectu
extranei, at *n. 118.* respectu filij nec tres
aureos.

Has Sententias adduxi, ut appareat, quod
nulla regula certa hic sit assignabilis, sed
decisio in particulari dependet à circum-
stantijs recensitis, juxta quas determinan-
dum

dum, quæ ex relatis sententijs locum habere possit.

287. De uxoribus, ut peccent mortali furto usurpando ex proprijs Mariti, aut fructibus dotis, est necessaria saltem tanta quantitas, quanta in filijs secundum omnes. Dixi *saltem*: quia Fagundez in 7. Decalogi c. 8. n. 2. ait fortasse requiri quantitatem duplo majorem, quia plus videtur ei deberi quam filijs, cum sit Socia administrationis; unde c. 10. n. 4. existimat Hispaniæ Regiam non peccatam mortaliter, bis mille aureorum in scio Rege quot annis donantem, aut si alia minor Regina donet mille.

Ex his sequitur tam filios, quam uxores obligati ad restitutionem ablatorum faciendam, dum sunt rationabiliter invitati parentes, & Mariti quoad substantiam: filij restituent vivo Patri aut hoc mortuo in divisione fratribus tantum cedent, quantum acceperunt, nisi prudenter credant eos tantundem accepisse, ut putent Patrem facile donaturum rogatum, & præsumptio colligi potest ex a-

more, & liberalitate erga filium, qualis consensus non est præsumendus, dum Summa notabilis in usus turpes, nempe meretricies, comestiones, & computationes expenditur, nisi hæc Summa sit subtracta parcius vivendo, dum filius poterat lautius vivere ex pecunia data pro victu, vestitu &c. Fagundez c. 3. n. 7.

Uxores autem restituent, vel ex suis bonis, vel subtrahendo sumptibus, quos juxta conditionem suam licite possunt facere ex bonis Mariti, vel si aliter non possunt hæredibus Mariti defuncti relinquendo tantum ex dotalibus.

Eas eadem causæ excusant à restitutione, quæ filios, & sicut quantitas respectu filiorum, ita respectu uxoris est taxanda ex annuo Mariti proventu, statu, affectu, liberalitate &c. Reliquæ quæ uxoribus licent aut non, lege à n. 92.

Dicta de furtis uxorum applicanda sunt furtis Maritorum ex bonis uxorum quoad quantitatem requisitam, alia vide à n. 90.



§. IV.

De furtis Religiosorum.

288. Certum est primò Religiosi furtum non semper esse mortale contra Justitiam Lugo *Disput. 3. n. 170.* contra Gersonem & Antoninum.

Certum est secundò quod omne furtum mortale ex objecto sive ex gravitate materiæ (secus mortale contra Justitiam ex circumstantijs) Sic etiam mortale con-

tra votum paupertatis, sed non e contra: sic enim est contra Justitiam, est tamen mortale contra votum, Religioso absque Prælati licentia det secularis rem notabilem eâ Conditione, ut non sit Monasterij.

Quæstio prima est an in re pecuniaria Monasterij de quantitate sufficiente ad mortale furtum (dixi *Monasterij*, quia

si pecunia non sit Monasterij, quantitas sufficiens respectu secularis furis etiam sufficit respectu Religiosi) sufficiat minor, quam in extraneo, vel necessaria sit saltem æqualis aut major?

Secunda in esculentis & poculentis.

Ad primam videntur esse contenti minore quantitate illi Doctores, qui apud Lugo cit. tres argenteos in ditissimis Monasterijs, duos in mediocribus, in egenis unum pro quantitate sufficienti statuunt. Secunda opinio cum Sanch. *L. 7. mor. c. 20. n. 3. & 5.* Religiosos parificat extraneis, ad quorum furtum mortale sufficiunt quatuor argentei secundum Sanch. pro hac Sententia etiam stat Laym. *lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. n. 5.*

Tertia multorum opinio apud & cum Pellizario *tract. 4. c. 1. n. 354.* Tambur. *Lib. 8. Decal. tract. 2. c. 4.* Religiosos in hoc pares facit filijs. Quartò cum Lugo à n. 172. concedit illis plus quam extraneis, minus tamen quam filijs.

Dico primo ut Religiosus peccet mortaliter contra Justitiam in pecunia rebusque distinctis à cibo, & potu spectantibus ad Monasterium, minor quantitas sufficit, quam in filijs, major autem quam in extraneis.

Probatur prius secunda pars, extraneus non est pars communitatis Religiosa, sicut est Religiosus, sed hoc ipso major quantitas requiritur in Religioso, quia respectu hujus in pari quantitate nequit Prælatus æquè esse invitus, sicut est invitus respectu extranei.

Probatur etiam pars prima: tunc minor quantitas sufficit ad furtum mortale Religiosi, quam in filio, quando minor quantitas magis, vel saltem æquè nocet Monasterio, ac nocet Patri major quanti-

tas furtivè ablata à filio, sed ita est: nam in furto filij solùm attenditur ad damnum temporale Patri illatum, in furto autem Religiosi superior est rationabiliter invitus non solùm propter damnum temporale illatum communitati, sed multò magis propter damnum spirituale, quod patitur status Religiosus in voto paupertatis, ad quod damnum avertendum Religio habet jus non minus, quam ad avertenda damna temporalia, igitur ex furto Religiosi sequitur majus damnum intrinsicum partim temporale partim spirituale, consequenter est majus furtum.

Confirmatur primò Religiosi non sunt filij, nisi fictione juris ad certos effectus in favorem Religionis, sed sunt membra communitatis: nam filij sunt quasi Domini in spe bonorum paternorum, atque adeo furando accipiunt quasi de suo, hoc est; ex illis, quæ proximè futura sunt sua, Religiosus autem non succedit in bonis Monasterij, & nunquam est futurus eorum Dominus.

Confirmatur secundò Jactura minoris quantitatis juncta cum damno annexo spiritali, quod patitur disciplina Religiosa æquat damnum, si non superat à filio Patri illatum per majorem quantitatem.

289. Observat præterea cit. Lugo utrumque damnum nempe tam temporale, quam spirituale esse majus aut minus pro diversitate actionis furtivæ, quia hæc eo amplius inficitur vitio proprietatis, quo magis res extrahitur à communi usu, minus verò habet de proprietate, quo minus est extra communem usum. Hinc non eadem quantitas respectu unius actionis furtivæ gravis, est etiam gravis respectu

specu alterius in eodem Religioso, quam Regulam illustrat exemplis.

Primò si Religiosus ex rebus communitalis det furtivè externis, hoc furtum maximè nocet communitati: quia res penitus extrahitur à communitate, secùs si eà ipse utatur unde putat quod sex argentei furtivè dati externo ex bonis mediocris conveniùs sit materia furti mortalis, secùs si eum in usum suum præsertim in vestitum moderatum, aut libros converteret: quia non extrahuntur à communitate ex parte termini ad quem, & adhuc multo major requiritur, quando Religiosus ex rebus sibi applicatis dat alteri Religioso in usum, quin Religio amplius expendat ad subveniendum danti: tunc enim nec viginti, ad quos talis usus ascendit, constituent materiam gravem; imò Sanch. c. 19. n. 66. non credit esse mortale quando unus Religiosus dat alteri Religioso librum valoris quinque aureorum, quia liber manet in communitate tali, consequenter parum extrahitur ex communi usu, idcirco in simili donatione multum culpæ imiauitur, inquit Suar. Tom. 3. de Rel. L. 8. tract. 15. n. 6. proinde major requiritur materia ad gravitatem culpæ.

Præterea quando externus mihi donat vestem, vel librum, si ejus Dominium applico communitati, usum verò mihi, plus requiritur, ut peccem mortaliter, quia nihil extraho à communitate præter usum unde credunt aliqui non esse mortale, si res donata non æquat duodecim aut 14. argenteos Ita Lugo.

290. Objicies pro sententia Religiosos parificante filijs primò. Parentes proprio sudore comparant bona, secùs superiores, neque hi sunt Domini, sed

administratores bonorum, Monachus semper acquirit Monasterio, non autem filius parentibus, ergo superiores non possunt saltem quoad substantiam esse tam invitiquoad furta Religiosorum ex bonis conventus quam parentes quoad filios. Secundò superior non minus debet diligere suos, quam parentes Filios, ergo spectatis omnibus superior nequit esse plus rationabiliter invitus, quam parentes, etsi enim Religiosi obligentur tendere ad perfectionem majorem, neque sint futuri Domini communium, quorum neutrum habet locum in filijs, consequenter ex his capitibus par quantitas furtiva Religiosi est gravior furto filij, ex altera tamen parte cum superior non sit Dominus, neque ea comparet proprio sudore, neque deceat esse minus liberalem de patrimonio Christi, videtur pari quantitate furtum Religiosi censendum esse minus furto filij; Si autem est minus, obligatio tendendi ad majorem perfectionem paupertatis, & quod Religiosus nunquam erit Dominus bonorum communitatis, solum efficit, ut in pari quantitate æquet gravitatem furti cum furto filij. Ex his sequitur facilis solutio argumentorum sententiæ Lugo.

Respondeo primò hæc probare esse practicè tutam hanc Sententiam seu tertiam relatum n. 288.

Respondeo secundò ad primum negando superiores non sudare in comparandis bonis: debent enim expendere ad culturam fundorum, collecturam fructuum, sollicitè conservare, & dispensare, singulis providere, sæpe mutuo accipere &c. nego igitur etiam consequentiam.

Ad secundum nego consequentiam, cujus probationis nullitatem ostendit obligatio tendendi ad perfectionem, atque adeo

adeo ad vitandum damnum præsertim spirituale, quod liberalitas superiorum nequit imminuere, cum dependeat à voto paupertatis, & natura status Religiosi. Ad summum enim liberalitas impedire potest, ne ablatio sit vitium proprietatis, quod contrahitur in usu rerum sine licentia, secus ne sit contra votum paupertatis, seu contra statum pauperum, quem ex voto proficitur per n. 43. & 48.

Pro praxi addo primò quis utitur re alienâ invito Domino salvâ rei substantiâ animo eam reddendi Domino, ut iudicetur, an peccet mortaliter contra præceptum non Furandi, aut contra votum paupertatis non est attendendus valor rei, sed valor jus usus Molin. *Disp.* 687. n. 2.

Addo secundò plus requiri ad furtum mortale Religiosi furantis ex Monasterio ditissimo, quam ex mediocriter divite, salmaticenses hic tract. 13. c. 6. à n. 43.

Addo tertio in ordine strictioris observantiæ paupertatis minor quantitas sufficit ad furtum mortale & contra votum paupertatis, quam in ordine, in quo minus viget paupertas. Pelliz assignans 7. aut 8. argenteos in observantioribus. Sanch. verò c. 20. & Palao tr. 16. D. 3. p. 20. n. 3. determinat regulariter quatuor licet major quantitas requiratur pro ditioribus, & adhuc major, si res accepta sit ex vestibus, libris &c. quam ex pecunijs

Addo quartò pro Ordine Capucinorum Generale Capitulum 1662. declaravit esse notabilem materiam furti, & proprietatis tres argenteos, aut Julios, hi autem conficiunt monetæ imperialis 30. crucigeros. Item anno 1643. est decisum, quod recipiens materiam notabi-

lem sine licentia; eamque autoritate suâ restituens duplex committat mortale reservatum; si res sit talis, cujus Religio est capax. De comestibilibus definitum est 1633. quod subreptio in magna quantitate danda extra conventum videatur casus reservatus: si vero id faciunt tempore recreationis ad comedendum standum erit iudicio prudentis. Additio tota est Gervasij Brisac. tom. 3. *Curs. Theolog. tract.* 5. *Disput.* 1. *quæst.* 3. *Articul.* 5. *num.* 86. & seq.

291. Dico secundò ut Religiosus peccet mortaliter furto contra iustitiam & votum paupertatis in esculentis, & poculentis exigitur major quantitas, quam in rebus alijs. Lugo num. 178. secundum mendo in *Epitom. V. Reserv. casus* n. 23: est necessaria duplicata ferè quantitas seclusâ circumstantiâ gravis necessitatis conventus; monet tamen rectè Lugo, attendendum esse an esculenta sint pretiosa, five extraordinaria, ut conservæ, & Saccharo condita, horum enim minor quantitas sufficit ad peccatum mortale quam ex communibus, & horum rursus major: quo major est eorum abundantia, & dum ex fundis proprijs colligantur, quam dum emuntur, estque eorum inopia.

Regulariter non est mortalis similitum actualis usus, & quasi transitorius, estque superior multo minus invitus, si ea dentur ab externis, quia id cedit in utilitatem conventus ex cujus rebus tunc minus absimitur, grave verò peccatum, si in magna quantitate accepta occultè retinerentur paulatim consumenda. Lugo cit.

Si Religiosus etiam esculenta, &c. dat externis, cum tunc integrè extrahatur

tur ab usu communi, servanda est Regula data *num. 289.* de quantitate rerum non comestibilium ex bonis communis extraneo datis, *Salmatic. num. 57.*

In concursu plurium Religiosorum ad

furtum grave, ita tamen ut singuli solum quid leve surriperent, id peccatum grave non reservaretur, quia respectu nullius esset ex se grave cit. *Mendo.*



§. V.

Certiores notationes de furtis minutis allegantur.

292. **N**ota primò nomine furti minuti intelligitur acceptio, aut reventio rei alienæ secundum se insufficientis ad mortale contra justitiam. Tripliciter potissimum accidit. Primò si quis plura successivè minutim furetur ab eodem. Secundò si à diversis. Tertio, si plures ab eodem singuli modicum tollant.

Nota secundò minutim furans potest se multipliciter habere. Primò cum advertentia, aut sine advertentia, quod posteriora furta augeant materiam priorem, & damnū. Secundò singula patrando cum, vel absque animo perveniendi ad magnam quantitatem. Tertio ut furta priora, vel in se, vel in æquivalenti defacto existant, vel non existant. Quarto quando plures damnificant eundem singuli in modico, possunt id facere cum, aut sine omni invito consilio.

Nota tertio ut furta modica coalescant in unum, necesse est ea continuari, id est, fieri tempore moraliter continuato, proinde sine magnis interpositis intervallis; quia homines minus ægre ferunt longo temporis intervallo sibi quadam modica auferri præsertim casu, etsi

ad notabilem quantitatem pertingentia, quam si simul, aut modico temporis spatio, aut de industria tota quantitas tollatur.

Hæc moralis unio tollitur secundum Rebllum per interpositos inter unum, & alterum furtum quatuor annos; secundum Sanch. per annum; secundum Caspensem per medium annum, secundum aliquos per mensem, secundum aliquos per medium; secundum Dianam *P. 1. de paupertate Religiosa Res. 34.* per mensem cum dimidio.

Item fit discontinuatio per pœnitentiam de præteritis furtis, vel per propositum restituendi præterita, vel si ante furtum completivum gravis materia sublata per præterita fiat impotens restituendi priora, *Less. Leg. 2. c. 12. n. 43.* contra Lugo *Disput. 16. num. 40.* quia jus respiciens materiam sublata furtis prioribus perinde se habet pro tunc, dum sit ultimum furtum, ac si nunquam fuisset læsum; nam in fure pro tunc jus nullam ponit obligationem, sed hanc impedit pœnitentia, vel propositum, vel impotentia restituendi non minus; quam impediret impotentia perpetua restituendi.

Uade

Unde negatur quod jus in materiam ultimi furti moraliter sit conjungibile cum jure ad materias priorum furtoꝝ, consequenter nec graviter resistit furto ultimo.

Nota quartò in singulis peccati mortaliter contra justitiam, dum fiunt animo continuandi usque ad quantitatem sufficientem pro mortali, quia singula fiunt ex animo graviter opposito justitiæ, è contra furans successivè sine animo continuandi, etsi pertingant ad notabile quantum, excusatur à mortali in casu inadvertentiæ ad tantum damnum, esto autem tunc acceptio non fit mortalis, est tamen mortalis retentio, quando advertitur ad damnum illatum per furtum ultimo complens, & priora in se vel æquivalenter existunt.

Nota quintò ut per minuta perveniantur ad furtum mortale, necessaria est secundum omnes major materiae quantitas, quam si tota materia simul tollatur (nisi sit levis mora inter unum & alterum quia tunc moraliter idem damnum infertur Carden. *Dissert.* 23. n. 13. ad Innoc. proposit.) quia simultanea summa est commodior sustentationi, quam minutim subtracta, hinc eo major requiritur quantitas, quo majus intervallum ponitur inter unum, & alterum eidem ab eodem factum, & adhuc major, si fit eidem à diversis, quam si ab eodem: item amplior si ab amico, vel domestico, quam ab extraneo fit: rursus adhuc amplior, si fit Patri à filio, & hujus furto major, si marito ab uxore vel è contra, ita passim Doctores.

Quanto autem major esse debeat, ut attingat mortale. Respondet Tamburinus id decerni non posse nisi prudentis ju-

dicis spectato proximi damno ejusque involuntario. Less. & Lugo requirunt duplum, aut saltem tertiam hujus partem, ut si materia furti simultanea sit florenus, in successivis sint floreni duo, vel Imperialis: Laym. *L. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. n. 6.* excusat à mortali primò eum, qui hodie à Titio non valdè divite faratus est duos Pazios absque animo amplius furandi, jisq̃ue absumptis nactus occasionem post tres circiter dies iterum alios duos clepsit, ac absumpsit, ac sic deinceps pertingendo ad florenum Germanicum. Secundò illum, qui inter quatuor annos furtis minutis surripuit unum aureum. Tertiò eum, qui duos vel tres aureos à diversis per intervalla furatus est unum post alterum absumendo sine animo continuandi furta.

Nota sexto certum esse per furta minuta, sive eidem ab eodem, sive à diversis communi Consilio, sive ab eodem diversis facta peccari mortaliter cum onere restitutionis, etsi non fiant animo continuandi, dummodo cum advertentiæ fiat, dum pervenitur ad quantitatem notabilem, ita plerique Theologi apud Lugo *num. 37. & 48.* aliàs non peccarent contra justitiam mortaliter defraudantes minutim ponderibus, mensuris, &c. contra proverbium C. 11. *Statera dolosa abominatio est apud DEUM, & Deut. 25. non habebis in sacco diversa pondera majus & minus.* Unde Innocent. XI. damnat hanc propositionem 38. *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* His prænotatis.

Ad quædam particularia descendamus.

§. VI.



§. VI.

De furtis levibus ab uno eidem factis.

293. **P**lurima minuta furta absque animo continuandi patrata pertinentia ad quantitatem notabilem, si adhuc apud furem extent in se, aut æquivalenter, ut si exinde ditior evaserit, hunc sub mortali ad restitutionem teneri, est evidens. Quia jus in ea Dominus non amisit, & sequitur ex damnata propositione proximè relata *num. 292. in fin.*

Dubium est: an dum furtum ultimo completivum quantitatis notabilis fit cum advertentia, quod compleat, peccet mortaliter acceptione vel verò solâ detentione.

Secundò an dum res ablata non extet etiam æquivalenter, adhuc tamen fur habeat grave debitum restituendi, etsi etiam in ultimo furto non peccet mortaliter?

Dico primò probabilius peccari mortaliter etiam per ipsam acceptiorem, Lugo *Disp. 16. num. 38.* contra Less. *Lib. 2. c. 12. n. 42.* Navar. Toletum. Probatur: tunc acceptio furtiva ultimo completiva cum advertentia ad complementum est mortalis, quando fur advertit, quod hæc acceptio graviter proximo noceat, sed in casu preposito, etsi priora furta nec in se, nec æquivalenter extent, fur advertit quod acceptio completiva quantitatis notabilis proximo graviter noceat; sicut die jejuniij in ultima comestione modica

cum advertentia, quod hæc cum pluribus præcedentibus modicis compleat materiam gravem peccatur mortaliter contra præceptum jejunandi.

294. Dico secundò etsi fur advertat, quod per præterita furta minute graviter nocuerit proximo, si nullum eorum factum sit cum advertentia ad materiæ gravitatem, seu ad grave illatum damnum, probabilius est cessare obligationem mortalem restituendi, ita Granado *1. 2. Controu. 6. tract. 2. Disput. 2. n. 49.* cum multis, quibus favet aperte Lessius *C. 7. n. 27.* contra Sanch. *L. 1. moral. c. 4. n. 16.* Laym. *Lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 6. n. 4.* Havnold. *tract. 2. n. 198.* Lugo *n. 68.* Carden. ad propositionem Innocentij *Dissert. 23. à n. 38.* existimantem nostram sententiam damnari per relatam propositionem 38. in fin. *num. 292.*

Probatur: si esset obligatio gravis restituendi, ea oriretur vel ex re accepta, vel ex injusta acceptione, vel ex gravi illato damno; non primum; quia res accepta nec in se, nec in æquivalenti existit, sed perijt sine extante lucro furis; non secundum; quia nulla acceptio est mortalis, sed singulæ sunt veniales, ergo collectis omnium non potest fundare obligationem mortalem restituendi, hæc enim nequit radicari in ipsa culpa totius collectionis acceptiorem venialium, ut-
pote

pote veniali, obligatio autem mortalis restituendi nequit radicari in culpa levi, aliam foret major sua radice: non etiam in damno illato gravi: quia hoc secundum se non fundat obligationem ullam restituendi, ergo nec fundare potest gravem, quando intervenit culpa solum levis, nisi res ablata formaliter vel æquivalenter extet.

Ex his apparet immerito sensisse Cardenas suam sententiam ex principijs intrinsicis esse certam, nostram verò certò falsam, & damnatam: non enim est formaliter damnata, quia nostra propositio est particularis, & restricta ad furem immemorem inferri grave damnum, damnata verò est universalis: hæc enim propositio, *non tenetur quis sub pœna peccati mortalis, &c.* æquivaleret huic; *nullus tenetur, &c.* non etiam damnatur virtualiter: quia tunc etiam per Cardenas propositio aliqua damnatur virtualiter in alia formaliter damnata, quando illa est antecedens, ex quo formaliter damnata legitime inferatur, sed ex nostra assertionem restricta nequit legitime inferri universalis damnata, uti est evidens. Quare ut universalis damnata censeatur, satis est, quod illa aliquando falsificetur, falsificatur autem sufficienter, si contradictoria verificetur, prout verificatur etiam stante nostrâ sententiâ, nam etiam secundum nos est verissima hæc propositio: *aliquis, seu aliquando quis sub mortali peccato tenetur restituere, tenetur ablatum per parva furtiva*: Et quidem id verificatur primo, quando furtiva fiunt animo continuandi ad magnam quantitatem, Secundò quando advertitur in ultimo furto compleri grave damnum. Ter-

tio quando res ablata leves extant in se, vel æquivalenter.

295. Dices quavis culpa venialis obligat ad restitutionem, ergo etiam ultima ex præcedentibus obligat ad totam materiam & quidem sub mortali post advertentiam ad grave illatum damnum: plures enim leves obligationes ejusdem Ordinis fundant obligationem gravem: sic qui credito accipit panem unius Pazij per dies 20. singulis acceptionibus contrahit levem obligationem, & tamen ex illis omnibus oritur obligatio gravis restituendi, dato quod 20. Pazij sint materia gravis. Idem patet in pluribus levibus promissionibus factis in favorem tertij ab eodem acceptatis, supposito quod promissio simplex acceptata obliget ex justitia. Tertio id ipsum suadent vota indies orandi orationem Angelicam per quinquaginta dies repetita, quando dies non est terminus obligationis, sed executionis, quo casu votens incurrit quinquaginta obligationes leves, ex quibus resultat obligatio gravis orandi 50. orationes Angelicas si diebus 50. transactis vota hæc non implevit, quia materia secundum se levis singularum promissionum reiteratione succrescit, atqui etiam in casu nostro damnum singulorum furtorum leve succrescit reiteratione, & fit tandem grave.

Respondeo concedo antecedens distinguo consequens ultima cum præcedentibus obligat ad totam materiam, si sensus sit quod ex ultima, & præcedentibus fiat collectio continens omnes veniales acceptiones, quarum singularæ obligent ad restitutionem suæ materiæ concedo consequentiam, si sensus sit, quod detur aliqua singularis acceptio obligans ad totam

P P

tam

tam materiam restituendam nego consequentiam nulla siquidem obligat ad restituendam ablatam per alia furta materiam; Nego autem secundam partem consequentis, quam non probat gravitas illati damni, ut ostendo à pari, dum grave damnum illatum est cum culpa veniali ex imperfectione actus talis, quo casu etiam per adversarios non est obligatio gravis restituendi, ergo nec dum culpa venialis est deliberata. Ad probationem hujus secundæ partis nego quod plures leves obligationes fundent gravem obligationem restitutionis (quia hæc obligatio gravis supponit aut gravem formaliter injustam juris læsionem, aut extantiam materiæ notabilis) sed alterius rationis, nempe fundatam in contractu, & hoc ad summum evincunt tres instantiæ, quarum prima loquitur de contractu emptionis, secunda & tertia de contractu promissionis, unde in his gravitas obligationis non oritur ex pluribus levibus ut talibus, sed ex contrahentis & promittentis intentione, in qua res plures leves debitæ in casu primo aut res leves promissæ, ut in secundo, & tertio casu extent de præsentis moraliter unitæ: solutio enim debiti in primo in reliquis solutio promissi retinetur; e contra res furtivæ leves nullatenus existunt in se, aut in æquivalenti, aut in contractu, vigore cujus fur intenderit se graviter obligare ex hypothese gravis illati damni etiam materialiter sumpti, contra plures Adversarios, de quibus mox patebit quid sentiant.

Ex Adversarijs Lugo *Disput. 16. num. 69.* Haunold, *trakt. 2. num. 208.* Esparza *quest. 32. ab Art. 8.* fingunt, quod suppositâ voluntate furandi sit essentialiter annexa tacite voluntas resti-

tuendi damnum illud voluntarium, & supposito secundo furto adsit obligatio reparandi damnum non modo illatum per hoc secundum furtum, sed etiam per primum, & sic deinceps, idcirco semper pro gravitate damni crescit gravitas obligationis. Hanc autem tacitam restituendi conventionem probant ex universali voluntate propriæ felicitatis, hæc autem exigit omnia ad vitam socialem necessaria, inter quæ est pax mutua, & offensionem ablatio præsertim ex injurijs convenientium.

Contra est primo, vel supposito furto voluntas illa est libera vel non, si libera, ergo fur potest omittere talem reparandi animum, & sic ruit totum argumentum: si est necessaria hujusmodi infallibilis obligationis nullum est fundamentum.

Contra est secundo ad summum probatur voluntas annexa generalis exequendi graviter necessaria ad vitam socialem, & salutem æternam, reparatio autem illati damni gravis per furta minuta, nec in se, nec æquivalenter extantia sive advertentia ad gravitatem damni non est graviter necessaria nec est aliqua conventio inter furem & Dominum, ut damnum reparetur.

Infertur probabilius esse quod furtum minutum factum novum post aliud antecedens cum advertentia, quod compleat materiam gravem non sit mortale, Molin. *Disput. 668.* contra Lugo à n. 43. quia non complet in esse materiæ gravis, sed prius completam leviter auget perinde, ac furtum leve supponens furtum simultaneum materiæ gravis, hoc non complet, sed auget leviter, aliàs omnia sequentia furta levia forent mortalia.

§. VII.

De furtis parvis, quæ ab uno fiunt diversis, aut e contra.

296. **C**onstat ex Not. 6. n. 292. per furta minuta ab uno diversis illata, & e contra mortaliter contra justitiam peccari posse cum debito restituendi. Porro ratio efficax hujus gravitatis, dum furatur quis singulis nocendo leviter est difficilis, probabilior est hæc, quod personæ per furta minuta læsæ consentient specialem communitatem, quæ graviter læditur læsis leviter singulis, ergo jus naturale justitiæ graviter resistit, sed nequit graviter resistere prout inest singulis, ergo prout inest collectivè acceptis, ergo ipsa natura rationalis suppositâ læsione singulos ordinat ad faciendam unam communitatem independentem à libera eorum conventionem, cum aliter vix sit explicabilis gravitas injustitiæ spectato præcisè jure naturali. E contra cum plures per furta parva nocent eidem, quisque E. g. furando grossum, aut unum vini vitrum ebibendo, aut botrum ex vinea decerpando, est distinguendum, si ex communi inuito Consilio, seu ut complices concurrant, est facilis ratio mortalis peccati, quia quisque est causa totius damni, & in solidum tenetur; e contra nullus peccat mortaliter, dum quisque furatur modicum ignarus damni ab alijs illati, aut proximè inferendi; nullus enim mortaliter influit in furta cæterorum.

Gravis dubitatio est: an singuli peccent mortaliter, quando singuli furantur

non ut complices, seu non ex communi consilio, sed scientes aliorum furta parva facta, aut facienda? affirmant multi cum Vasquez 1. 2. Disp. 146. c. 2. & Molina Disp. 689. Respondeo negativè cum Lugo Disp. 16. num. 52. ex communiore quia nullus tunc graviter nocet: ideo enim quisque graviter noceret, quod damnum suo furto illatum & conjunctum damnis per furta cætera illatis sit grave, sed exinde non graviter nocet: ad hoc enim non sufficit gravitas damni ex conjunctione, sed insuper necesse est, quod sit causa moralis damni per alios illati, seu ut coöperetur aliorum furtis, quod non accidit.

297. Objicies primò quisque eorum advertenter complet materiam gravem, etsi non desideret grave damnum, ergo sicut hoc desiderando peccat mortaliter secundum omnes, licet ipse furetur modicum, ita peccat mortaliter etiam secluso desiderio intentio enim actum de se levem non transfert de veniali in mortale.

Secundò à paritate leviter ultimo vulnerantis, quando præcesserunt plura ab alijs inflata vulnera citra mortem.

Tertiò quisque eorum coöperatur gravi damno proximi: is enim coöperatur gravi damno, siæ quo non existeret grave damnum, sed nisi ponatur furtum

ulti-

ultimum de se leve non existit grave damnum, ergo.

Respondeo ad primum, objectum dicti desiderij non esse damnum illatum per leve furtum, hoc enim præcisè intendens non transfert veniale in mortale, sed objectum ejus est totum damnum grave, & ideo est mortale; è contra intendens leve furtum cum scientia cæterorum furtorum non intendit horum damnum, sed sui solum furti.

Ad secundum est disparitas, quod vulnus ultimum de se leve in illis circumstantijs sit adæquata causa mortis consistens in indivisibili; supponitur enim supervicturus ex cæteris vulneribus; è contra in nostro casu damnum est divisibile, proinde nullus est causa ejus adæquata.

Dices: ergo is qui post plures in materijs diversis leviter detrahentes Religioso coram Prælato superaddit levem detractionem, quâ auditâ Prælatus deponit bonam de Religioso æstimationem judicando eum indisciplinatum est similis non furi, sed postremo vulneratori, sicut enim hic perimit vitam, ita ille famam: supponitur enim quod seclusa detractione postremâ Prælatus judicium sinistrum non formaret.

Respondeo concedo illatum cum Lugo n. 60. Ad tertium assumptum est verum de coöperatione levi, ut autem peccetur mortaliter, requiritur coöperatio gravis, seu talis cui moraliter imputetur totum damnum; hic autem imputari nequit: sicut si zlij Petro minurim darent 99. florenos tu superaddendo unum, quo compleas centuriam, non censeris mortaliter dedisse centum, sed complementum centuriaz.

Quæres an saltem is, qui furto levi fuit occasio prævisa, seu dedit exemplum cum prævisione gravis damni inferendi ab alijs peccat graviter non solum contra charitatem, quod certum est, sed etiam contra justitiam cum obligatione restituendi, etsi damnum non intenderit?

Respondeo etsi probabilis sit affirmativa cum Dicastillo de pœnit. Disp. 9. n. 336. eo quod probabiliter quævis virtus obliget, ne etiam indirectè nempe positivo prævo exemplo, procuretur ejus violatio, non est tamen obligatio restituendi gravis ex tali indirecta coöperatione, eo quod illa fundetur solum in actione perfecte læsiva, & directè influente in damnum. Sanchez. L. 1. moral. c. 6. n. 3. Dicastill: n. 343. Soarez de charit. D. 14. §. 2. n. 10.





§. VIII.

De furtis minutis Domesticorum, Opificum & eorum Confessario.

298. **H**ic sub Domesticis comprehendimus non solas proles, uxores, ac Religiosos respectu Monasterij sed etiam famulos, & ancillas.

De quantitate requisita ad mortale in prolibus, uxoribus, & Religiosis diximus à num. 236. nihil adhuc statuimus de quantitate ad mortale in furtis famulorum, de quibus est verior opinio, quod ut furtum eorum ex rebus pecuniarijs, aut alijs distinctis à comestibilibus sit mortale opus sit majore quantitate quam in extraneis, Lugo *Disput. 16. n. 63. & 68.* quia Domini quoad Domesticos non videntur æque esse rationabiliter inviti, quam respectu externorum, nam attentâ fragilitate humanâ vix possunt res ab ijs Administrari tantâ fidelitate, ut nihil subinde adhæreat eorum manibus sicut conducens in vindemiam operarius scit pro certo comesturos botros.

Quanto autem major requiratur in famulis, quam in extraneo ad mortale furtum nullâ regulâ potest definiri, sed est dijudicandum ex circumstantijs Domini divitiarum, vel paupertate, liberalitate, vel tenacitate, qualitate rei acceptæ, utilitate personæ accipientis, &c.

Dixi *ex rebus pecuniarijs &c.* nam in comestibilibus, ut peccent mortaliter, longe major quantitas postulatur: raro

enim peccant mortaliter in horum usu, præsertim suæ curæ commissorum ob rationem proximè allatam, maximè quando ordinaria tractatio est exigua: unde scribit Sanch. *Lib. 7. Moral. c. 21. n. 21.* de furtis minutis domesticorum, & à fortiori Religiosorum eos excusans à mortali, etsi in usu comestibilium paulatim pertingant ad notabilem quantitatem, quod approbat Laym. *Lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. n. 5.* quando Dominus est invitus solum quoad modum secùs quoad rem, putat autem esse invitum quoad rem, seu substantiam, quando furta parva sunt de eo genere quæ non communiter, aut non in magna quantitate dari solent, ut si famulus vel etiam Religiosus in loco, ubi est vinum caro pretio per unum mensem singulis diebus ebibat binas vini mensuras, tunc enim peccat mortaliter uterque contra Justitiam, & Religiosus insuper contra votum paupertatis.

Limita Doctrinam regulariter excusantem in cibariis Domesticos à mortali in furtis minutis, ut non procedat, si ea dent externis: tunc enim Domini, & Monasterium sunt non minus inviti quoad substantiam, quam si dantur externis res aliæ non comestibiles, proinde damnum illatum est reparandum à furibus, si non restituant illi externi, qui res furtivas absump-

absumpserunt ita supponit citatus Layman. Advertit tamen Bassæus V. *Elemosyna* n. 12. D. Thom. Tol. & Fili, permitti famulis, si dent modicam Elemosynam, & raro aut quando adest consensus saltem interpretativus Domini, aut probabiliter speretur ratihabitus, aut si quid suæ portioni detrahatur citra Domini præjudicium.

299. De furtis opificum, ut sartorum servantium residua fragmenta scribit Sanch. L. 1. *conf. c. 7. dub. 3. à n. 3.* si ea sint adeo modica, ut habentur à Dominis pro relictis non est obligatio ea restituendi etiam à sartoribus, officialibus, fragmenta autem magna, & magni valoris posse retineri à magistris (secus à Socijs, quia hi habent justum stipendium à Magistris) quando si sunt timoratae conscientia æfferentes sibi non solvi laborem justo pretio, proinde fragmenta in partem solutionis computant, dummodo non excedant debitum laboris pretium justum liquidum, seu certum.

Hæc Doctrina non est extendenda contra aliquos ad molitores modicum quid accipientes ex frumento, quod solent molere, quia illis nihil detrahatur in mensura consueta frumenti eisdem taxata, aut in pretio loco frumenti ex conventiono dando.

Textores retinentes materiam datam reliquias parificari possunt Sartoribus, nisi etiam taxatum sit pretium de singulis ulnis:

Argentarij, & Aurifices æs, aut aliud Metallum admiscentes Argento, vel Auro, quantum præcisè necesse est ad connectendum, consolidandum argentum, & aurum licitè tale æs admixtum vendunt pro argento, & auro secundum Dicast. L. 2. *tract. 9. Disput. 4. dub. 4. num. 71.*

Cæterum præfatorum omnium opificum furta minora posse coalescere in materiam gravem cum obligatione mortali restitutionis evidens est ex jactis superius Principijs.

Concludo hunc §. verbis Lessij L. 2. *c. 12. n. 50.* monendi, inquit, sunt hoc loco pro his, & similibus casibus confessorij, ut non facilè in furtis minutis, & quæ ad peccatum mortale non pertingunt, dissimulent, sed pro Conditione & capacitate personarum semper aliquam restitutionem injungant, quæ fiat vel reddendo rem eandem, si extat, vel ejusdem speciei, vel pretium rei, vel compensando majore obsequio, quam ex contractu teneantur, vel si creditoribus non possunt, conferendo tantum in pauperes: hæc enim ratione, cum impune non transeant, magis de ejusmodi peccatis absterrentur, quam alijs pœnitentiolis, alijs fiunt ad hujusmodi furta faciliores, & ad majora gradum faciunt. Ita ille approbatus à Cardena. *Dissert. 23. num. 118. Tanner. 2. 2. D. 4. q. 6. n. 279.*



ARTICVLVS QVARTVS.

De causis à furto excusantibus.

§. I.

An occulta compensatio careat vitio furti, liceatque?

300. **O**cculta compensatio est usurpatio rei alienæ privatâ authoritate creditoris facta ad suum debitum compensandum.

Pro decisione fundamentum præbet damnata ab Innocent. XI. propositio 37. *famuli & famula domestica possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

Propositio extendenda est ad quosvis creditores occultam compensationem prætensi sui crediti attentantes: etsi enim propositio loquatur de domesticis solum, id non limitationis sed exempli gratia factum esse constabit ex ratione contra Domesticos adferenda, Ita Didacus Hurtadus in *Theologia reformata ad Innocentium XI. Disp. 23. n. 69.*

Stipendium ministerij alicujus est instar mercium prærij triplex; Summum, medium, infimum, unde minus infimo, & majus summo est evidentè injustum. Porro justa stipendij mensura est duntaxat valor impensæ ab Officiali laboris (se-

cus hujus familiæ, aut uxoris, vel prolium etiam sustentatio) ac salarium, quando pro eo servire alij parati sunt, solentque, esto famulo videatur tenuè (nullus enim in propria causa est aptus Judex, quia amor proprius facilè indicat aliquid esse evidens in commodum suum, dum alijs vix est probabile. Quare de Justitia stipendij est necessarium judicium non interessati & in similibus versatissimi) præsertim quando ultroneè suum famulatum offert Domino: tunc conventio pro minori est justa, sicut merx ultro oblata vilescit.

Tres Sententias ad propositum refert cit. Hurtad. Prima non requirit debitum omnino liquidum, sed contenta est probabili, etsi pars negans debitum sit æque probabilis, vel forte probabilior, Ita Spinola in *tract. de elect. opinionum Disp. ultim. sect. 7.* Secunda distinguit inter opiniones facti, & opiniones juris, has non illas sufficere secluso scandalo ruetur, ita Joannes Sanch. in *select. Disp. 33. n. 32.* Tertia defendit in casu pro

probabilis debiti fas esse compensare dimidium duntaxat debitum dimidio debitori relicto, sic enim utrique juri ex æquo sua portio defertur. Ita Julius Mercatorus in *Tb. moral. 3 p. Art. 12.* quam sententiam illustrat, Matth. Moya p. 2, *select. tr. 6. D. 4. q. 1. §. unie.*

301. Dicendum est, nunquam licitam esse occultam compensationem nisi debitum sit liquidum, seu moraliter certum id est, excludens probabile iudicium negans debitum, nec viâ aliâ queat debitum certum obtineri, caveatque, ne exinde debitor exponatur periculo idem debitum iteratò solvendi, aut ne maneat in mala conscientia debiti nondum persoluti, aut ne inde innocens trahatur in suspicionem furti (charitas enim obligat ad hoc præcavendum, quanto commode potest) aut ne fiat compensatio ex re non spectante ad debitorem, sed ex proprijs cum minore ejus damno, est communis Doctorum.

Probatum stantibus his conditionibus occulta compensatio nulli est injuriosa, sed justa defensio contra injuriantem, qui nequit esse rationabiliter invitus, & ideo non est furtum, hujusque vitium non contrahit, etsi via juris citra magnum incommodum posset obtineri solutio; nam inversio hujus ordinis non est mortalis teste Dian. apud Lugo *Disp. 16. num. 91.*

Econtra esse illicitam, injustam, atque adeo furtum, dum debitum est dubium, aut solum probabile. Probatum, tunc est illicita, atque injusta occulta compensatio, quando certa, debitoris possessioni nequit prævalere jus dubium, aut etiam probabile, cum ex terminis pateat incertum jus possessioni, & certo Dominio præjudicare non posse, ipsum-

que forum externum spoliatum eo casu restitueret secundum utrumque jus.

Amplio, ut procedat, etsi major sit probabilitas pro debito idque non solum, quando major probabilitas est incerta, sed etiam quando probabilitas debiti est certa, quia etsi sit certa probabilitas adhuc tamen jus ad debitum est incertum: econtra certum habet jus pecuniæ cum certitudine possessionis, ex quo jure nullus privatus potest debitorem dejicere, aliàs posset sibi jus certum attribuere.

Hinc est disparitas cur Judex debeat ferre sententiam pro eo, pro quo jus est probabilius, quia ei à republica data est potestas ad jus certum transferendum in eum per sententiam, pro quo stat probabilitas juris.

Ratio data pro injusta occulta compensationem confutat etiam secundam & tertiam Sententiam, quia sive opinio sit de facto, sive de jure incerto nequit excludere certum possessorem, & Dominum non tantum in toto, sed nec in parte, cum etiam pars debiti sit illiquida, ita citat. Hurt, n. 103.

Ex disparitate data, cur Judex debeat ferre sententiam pro habente jus probabilius sequitur falsum esse contra adversarios, quod Judex nullum conferat jus illi, pro quo sententiam dicit, sed quod jus ab initio Victori, aut creditori competens declaret, si enim solum declararet jus præexistens, tunc Judex in casu probabilitatis diceret solum jus Victoris esse probabilius servatâ imposterum probabilitate juris contrarij; & sententia esset inefficax ad transferendum jus indubitabile in Victorem, litesque hæc ratione nunquam finirentur, ut rectè arguit Didac.

Didacus Hurtadus in *Theologia refo-*
ab Innocent. XI. Dissert. 23 n. 79. jun-
cto 119.

302. Quod dictum est ad licitam occultam compensationem debiti requiri hujus liquiditatem, seu moralem certitudinem, etsi teste Lugo *Disput. 16. n. 94.* omnes in ea conditione convenire debeant, quatenus pro debito incerto, si-ve dubio strictè tali nemo privari potest possessione certa rei, at loquendo de dubio positivo latè sumpto pro opinione probabili, non ita conspirant Doctores. Molin. *tom. 3. Disp. 691 n. 1.* negat sufficere opinionem probabilem, nec probabiliorem. Sanch. *lib. 6. Decal. c. 3. n. 6. & lib. 4. Consil. c. 1. dub. 14. n. 12.* Soarez de *legib. lib. 5. c. 18. n. 20.* Vasq. in *opus de Restit. c. 6. § 3. dub. 5. n. 83.* ita explicat illam conditionem, ut in dubio juris, vel facti circa dominium non possit aliquis clam rem, aut hujus partem accipere, quamdiu non constat evidenter, aut per judicis sententiam. Requiritur ergo certitudo moralis de debito, certitudo autem excludit probabilitatem Lefl. *lib. 2. c. 12. n. 58.*

Hæc Doctrina non caret gravi difficultate, nam plures jus Authores ad casus particulares descendentes concedunt creditori occultam compensationem, etsi creditoris jus non sit certum, seu liquidum, sed probabile ut Exemplificat Lugo à n. 95. ac ex illo Dominicus Viva ad *proposit. 37. Innoc. XI. n. 2.*

Primò in infamato, qui si infamans nolit, aut non possit satisfacere, potest compensare sibi ex pecunia, quam debet infamanti, etsi sit solum opinio probabilis de compensatione pecuniaria, quando in proprio genere nequit satisfieri pro fama, ita Lefl. *c. 11. n. 136.* contra alios

negantes pecuniâ posse compensari. Secundò legata relicta in testamento minus solenni juxta sententiam satis comunem non sunt in conscientia solvenda (quod Barbosa extendit ad legata pia contra communiorem verius obligantem solvere) quia tamen opinio Lefl. *c. 19. n. 22. & 30.* Molin. *tom. 1. Disp. 81 vers. quod si fuit, est probabilis, & alij probabiliter obligant heredem ab intestato ad ea solvenda, potest legatarius uti occultâ compensatione.* Tertio Rex ex opinione probabiliori juris in Regnum ab alio possessum potest armis sibi vindicare secundum gravissimos Doctores cum Joan. Sanch. in *select. Disp. 44. n. 58.* Maldero, Victoria, Covar. Fill. quos sequitur Granada 2. 2. *controv. 3. de charit. tract. 12. Disp. 4. sect. 3 n. 29.* Soarez, Valentia, in casu quo probabilior est opinio circa jus, ergo multò magis opinio probabilis faciet licitam occultam compensationem, utpote tor mala non secum trahens.

Quartò quando probabilior est famulo ex Justitia deberi majus salarium, Judex potest, & tenetur obligare Dominum ad illud solvendum, debet enim sequi opinionem probabilioram, ergo etiam famulus potest occultè tunc sibi compensare, quod enim potest viâ juris, potest etiam viâ occultæ compensationis citra injustitiam obtinere.

Quintò quando probabiliter non tenetur Petro centum, probabiliter deobligor solvere Petro centum, ergo si ex ignorantia solvi, possum illa occultè compensare. Antecedens est Salon. Malder. cum aliis apud Joan. Sanch. *Disput. 33. n. 35.* consequentia patet, quod causa excusans solutione debiti etiam permittit compensationem soluti.

Q 9

Sex-

Sextò Judex quando stat opinio utrinque æque probabilis de re ab una parte possessa non obstante possessione debet rem inter partes dividere, cum debeant juxta merita causæ judicare, ne sit acceptor personarum *per proposit 2. ab Innoc. XI. damnatam*, ergo quando Dominus probabiliter judicat non deberi majus salarium, famulus verò etiam probabiliter censet deberi majus, potest famulus sibi occultè compensare illam partem, quam Judex adjudicaret, si enim dum est liquidum debitum, potest totum compensare, si dubium, nihil, ergo si sit probabile, potest partialiter compensare pro merito probabilitatis. Et ita docet P. Matth. de Moya p. 2. *select. tract. 6. Disp. 4. q. 1. à n. 15.*

Lugo n. 99. etsi videatur inclinare in occultam compensationem ut licitam, dum creditor circa jus habet opinionem æque probabilem: attamen n. 106. profiteretur se abstinere ab ultimo suo judicio addique in praxi non facilè discedendum à communi sententia. Huic sententiæ inhærendo.

Respondeo ad primum cum Hauld, *tract. 2. à n. 335*, hic non esse occultam, sed apertam compensationem omnino licitam: quia infamatus per infamationem acquirit probabile jus pretio æstimabile. Hinc infamatori negat solutionem debiti, sperans, quod si debitum exegerit in judicio, ad oppositionem exceptionis non audietur.

Dominicus Viva *num. 8.* aliter Respondet; sentit enim probabilius videri compensandam esse famam in pecunia ab impotente famam restituere, proinde cum Judex judicare debeat secundum probabiliorum juxta damnatam ab Innocent. XI.

Proposit. 2. est probabile, quod sit licita occulta compensatio, quando commodè Judex nequit adiri. At alij communius restringunt ad casum, quo infamatus penes se habet pecuniam infamanti debitam æstimatam tanti, quanti æstimatur fama restituenda.

Ad secundum nego antecedens ex *num. 258.* Secundo Lessius & Molin. *per num. 259 & seq.* putant jus certum competere ex testamento minus solenni, & licet hoc nihil probet, admittitur tamen sufficiens probatio, si hæres ab intestato recognoscat eam fuisse defuncti voluntatem, aut si delato juramento recuset id præstare *L. 2. & L. fin. cod. de fidei commissis.* Responsio utraque est etiam cit. Viva,

Ad tertium concessio antecedente nego consequentiam cum cit. Viva Lugo *num. 98.* quia Rex agit auctoritate publicâ instar judicis adjudicando sibi Regnum juxta jus probabilius in Regnum, cum autem nemo in causa propria debeat minus judicis obire ob periculum deceptionis, tenetur committere causam suam dejudicandam à viris peritis, doctis ac timoratis, qui liberè seposito omni respectu pronuncient. Idem Rex nequeat bello impetere possessorem ex majore probabilitate circa factum, ut si lis sit an sit initus contractus, vi cujus debeatur Regnum, tunc enim Judex nisi factum sit moraliter certum, seu plenè probatum, nequit spoliare Possessorem; ergo multò minus privatus E. g. famulus potest occultè compensare etsi opinio illi favens esset probabilior. Non obstat, quod in hoc casu posset Judex sententiam ferre pro famulo, dispersas est, quod famulus ob amorem lucri & inscitiam facilè hallucinetur: quod

quod enim in propositione 37. præscribitur, est, posse famulos occultè compensare id, quod ipsi judicant sibi deberi in salarium, quod aperit viam furtis innumeris, & ideo est scandalosum.

Ad quartum nego consequentiam; Judex enim adstringitur probabiliorum circumstantiarum, ut in casu famuli circa ejus operam, quam heri præstat, unde posito tali contractu, & tali servitio præstito à famulo judicat probabilius competere huic jus ad mercedem majorem, consequenter potest ad majorem condemnare Dominum, famuloque adjudicare jus certum ad eandem, minimè autem ob hallucinationis periculum potestas judicandi, ac discernendi est famulis permessa, an servitia, quæ exhibent sint majora conventa mercede. Vide tamen *Vers. Domini cum Viva in numero præsentis*.

Ad quintum nego consequentiam. Ratio Antecedentis est quod certa mea Possessio centum sumpta cum opinione probabilis me ea non teneri prævaleat opinioni probabilis, quod teneor illi centum; si tamen ductu hujus opinionis solvi Petro centum, nequeo ea reperere, aut clam compensare, quia Petrus evasit illorum Possessor bonæ fidei, quâ possessione nefas est illum spoliare ob meras rationes probabiles.

Ad sextum solutio colligitur ex probatione conclusionis n. 301.

303. Quæres primò an licita sit compensatio debiti verè probabilis, dum pro non debito nullæ, aut tenuis solum adsunt rationes, ex quibus nequit prudens formati judicium de non debito.

Secundo an procurator alicujus ad negotia cum designato salario annuo inopinatos labores à se improvisos, quos

si prævidisset majus salarium petijset, queat occultè compensare, dum ei constat se nihil à Principali obreanturum, et si augmentum poposcerit, idem est de famulo, quem Dominus occupat ultra conventionem; non enim tenetur ad peragenda, nisi ea, quæ alij communiter in tali ministerio, præstare solent.

Tertiò an qui vi, aut necessitate coactus pro pretio inæquali famulatur, possit defectum supplere occultè compensando.

Respondeo ad primum affirmativè cum Didaco Hurtado n. 85. Lugo *Disp. 17. sect. 4. in fin.* contra Cardenas *Crisis Theolog. Disput. 4. à n. 102. & p. 3. Disp. 64. n. 18.* quia debitum in tali statu est moraliter certum, et si certitudo hæc non sit omnino infallibilis, sufficit tamen ad prudenter sic operandum, quoties pro una parte datur probabilitas, & nulla pro altera, nam ex hoc principio nequit iterari Baptismus, nec Sacerdotium prætextu improbabilis dubij, & suspicionis; quia nulla prudens ratio suadet fuisse irritum Sacramentum.

Confirmatur in casu præsentis non est necessaria major certitudo, quam in delictis ad reum condemnandum, in quibus etsi probationes luce meridianâ clariores exigantur, attamen justam faciunt condemnationem duo testes, quibus nulla probabilis exceptio opponi potest, etsi sæpe contingat eorum testimonium esse falsum. Certitudo igitur nostro captui accommodata non excludit omne dubium, aut omnem formidinem, aut suspensionem oppositi. Ex his.

Infero primò cum cit. Didaco Hurtado à n. 89. eum, qui bonæ fide possideret rem, sed dein opinatur esse alienam, quia

quin probabiliter judicare possit esse suam teneri restituere suo Domino Sanchez *lib. 2. de matrim. Disput. 44. num. 1. juncto. num. 5.* Lugo *num. 83. in fin.*

Infero secundò conjugem qui pro sui nullitate matrimonij probabilem habet opinionem, nullam verò probabilem pro valore post factum diligens examen, nec posse petere nec reddere debitum (quoad reddere est contrarius Lugo *cit. num. 88. in princ.* Quod ad reddendum sufficit bona fides, & possessio alterius conjugis, qui non est spoliandus sine manifesta probatione impedimenti: & ideo etsi careat judicio probabili de valore matrimonij, non tamen caret judicio quod liceat reddere, ne jure suo fraudetur Possessor bonæ fidei.) quia tunc est moralis certitudo nullitatis matrimonij, unde Sanchez *Disput. 41. num. 153.* tenet jus Canonicum *C. inquisitioni 44. de sent. Excom.* favens conjugi loqui in casu, quo nondum erat adhibita sufficiens diligentia ad veritatem certam eruendam, favet Lugo *num. 87.* Cæterum *cit. cap.* uti etiam *C. si Virgo 5. 34. quest. 1.* aperte negat posse etiam reddi debitum à sciente impedimentum, sed habens probabilitatem pro nullitate sine probabilitate pro valore moraliter scit impedimentum, ut probatum est.

Respondeo ad secundum affirmativè cum Mendo in *Epitom. opin. V. compensatio num. 3.* Ubi id ipsum dicit famulo, allegans pro hoc Vasq. Navar. Less. quia omnes adsunt requisitæ conditiones.

Respondeo ad tertium affirmativè, ita *cit. Hurtado n. 26* cum Lugo *Disp. 16. n. 30.* Dicast. *tract. 2. Disp. 9. num. 144.* testante esse omnium Auctorum. In hac quæstione supponitur, quod operam fa-

muli constet certo esse majorem salario (unde casus hic non comprehenditur in propositione damnata, & solum quæritur an famulus, qui vi, seu ab extrinseco, aut propria necessitate compulsus contrahit pro mercede injusta nempe minore, quam sit aliorum parem operam præstantium, debeat stare conventioni, aut possit sibi occultè compensare. Ad quod dicimus affirmativè, quia etiam hic sunt omnia requisita: ipse enim conditor debet, quod defuit stipendio justo, supplere ad æqualitatem: sicut Empor cogens me ad venditionem tritici infra justum pretium, debet dare supplementum, ergo si alius modus facilis non est habendi, potest occultè compensari: & quidem ut *cit. Hurtado observat num. 23.* & sequent. ex Molina. Dicast. cum hac differentia inter compulsus ab extrinseco, seu vi, & compulsus ab intrinseco, seu à propria necessitate, quod prior possit compensare ad mercedem mediam; sicut enim ei erat liberum non servire, ita habet jus non serviendi, nisi pro pretio medio, aut summo, at qui à propria necessitate compellitur, is non potest compensare, nisi usque ad infimum pretium, quia plus non debetur ex conventioni, nec plus requiritur ad tollendam injustitiam, cum nec infimum justum habere potuerit.

Dices: ergo militiæ Capitaneus stipendium debitum male persolutum, aut dimidiatum poterit occultè compensare v.g. in militum lustratione tot sicta nomina exhibendo, quod sufficienter ad supplendum stipendium certo debitum. Respondeo nego illatum cum Arsdectio: quia licet ejus jus sit certum, nequit tamen pro eo satisfactionem procurare cum
falla

fallacia & majori Reipublicæ detrimento, uti hic fieret : nam inter reliquas conditiones requiritur etiam hæc : ut faciat cum damno minori debitoris ; oppositum au-

tem hic accideret : nam Princeps supponit sufficientem militem pro justa defensione esse sub signis, quæ suppositio falleret cum periculo communis damni.

§. II.

An & qualis necessitas excuset à furto?

304. VOX furtum propriè semper significat injustam rei alienæ usurpationem per num. 282. unde S. Thom. hic q. 68. Art. 5. Manifestum est, inquit, quod omne furtum est peccatum : unde quando q. 32. Art. 3. ad 1. & alibi docet, Monacho in extrema proximi necessitate, licitum esse furari ad Eleemosynam dandam sumit furtum improprie, nempe pro acceptance rei alienæ.

Hinc patet quam absurda, & scandalosa sit thesis 36. ex damnatis ab Innocent. XI. *permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi* : loquitur enim thesis de furto strictè tali, quod generaliter prohibetur utpote intrinsecè malum, & juri naturali contrarium septimi Decalogi præcepti *non furtum facies*, si enim non esset prohibitum, tunc licitum foret accipere alienum invito rationabiliter ejus Domino, quod est implicancia in terminis.

Quia tamen aliquando fas est accipere sibi alienum, quin acceptio sit furtum, inquiritur an non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate id liceat. Verum quia nulla certa differentia contradistinguit clarè extremam à non extrema seu à gravi necessitate, hinc fit ut necessi-

tates, quas alij vocant extremas, alij inter valdè graves computant apud Sanch. Lib. 1. Consil. c. 5. dub. 5. n. 4. unde si in valdè gravi necessitate, seu quasi extrema, aut gravissima non perveniente ad extremam clancularia alieni acceptio est furtum, etiam erit, etsi fiat in extrema, vel si in hac cessat esse furtum, eo quod tunc Dominus nequeat esse rationabiliter invitus, etiam desinet esse furtum in valdè gravi, evadentque res ad usum communes naturali æquitate, & justitia id postulantes, cum DEUS privatorum Dominium, sive jure naturali per occupationem, sive labore proprio, sive positivo gentium comparatum videatur noluisse extendi, ut resistat etiam valdè graviter indigenti, quia ex primaria institutione bona fortunæ sunt ordinata ad sublevandam omnium necessitatem, stante enim valdè gravi necessitate tenetur Dominus consentire, ergo acceptio clandestina tunc non est furtum, etsi fortè modus accipiendi Domino displiceat, Less. L. 2. c. 12. à n. 71. advertens etiam id non licere, quando Dominus est in pari indigentia, aut si status illius notabiliter læderetur, quia scilicet caret bonis superfluis, aut quando malum accipientis

patientis aliter averti potest, spesque alterius remedij non est omnino sublata, unde negat excusare necessitatem quovis modo gravem etiam nuditatis, morbi, famis sufficere ad hunc effectum sed eam solum, quæ valdè gravis est, & ex qua facilè devenitur ad extremam, nisi tempestivè præveniatur.

Eodem sensu gravem necessitatem sumptam tuetur Lugo *Disput. 16. n. 154.* quod liberet à furto, & plures alij, quorum sententiam sic restrictam non damnari in allata damnata propositione, docet Didacus Hurtadus *Dissert. 22. Theologia reform. num. 6. addens num. 20.* Non videri improbandam, at inter plures Authores contentione solum videri de nomine necessitatis extremæ, de re autem convenire: sic tam ad evadendum periculum mutilationis membri principalis, quam mortis concedunt equum proximi conscendi posse, etsi periculum mutilationis nolint dici necessitatem extremam, sed valdè gravem, ac extremæ æquiparari.

Est quidem certum, quod periculum mortis sit necessitas extrema, sed quod sit sola hæc facilè nequit constare, cum alij sat communiter apud Suar. *Disput. 7. de Chart. sect. 1. n. 4.* extremis adnumerent evidens, ac urgens periculum mutilationis, perpetuam amentiam, addit ipse his periculum totius famæ, aut omnium fortunarum.

Vocemus igitur inquit cit. Hurtad. *num. 22.* extremam necessitatem, quæ certo est talis, nempe evidens mortis periculum, fatendum tamen est dari alias æquivalentes tali extremæ, ut si periculum non quidem sit mortis corporalis, sed mali alterius, quod moraliter loquendo ipsa

morte gravius possit aestimari, ita ut prudenter quis optet mori potius, quam id pati uti est amentia perperua, stuprum violentum, vita amarissima & similia in quibus absque peccato potest desiderari mors, puta inquit Hurtadus *Dissert. 8. à num. 57.* ut quis liberetur à morte severiore per carnificem infligenda à gravi infamia, terro carcere, nimia paupertate, à morbis, aut doloribus continuis, alijsque id genus diuturnis malis, quibus vita præfens redditur nimis laboriosa: unde Ecclesiastici 30. dicitur *melior est mors, quam vita amara.*

Exposita sic necessitate extrema & quasi extrema, seu valdè gravi, id est tali, ex qua, nisi tempestivè succurratur, facilè devenitur ad extremam, superest ut explicetur necessitas gravis, ut contradistincta à communi, ne etiam hic contingat confusio, eam autem cum cit. Hurtado *Dissert. 22. n. 25.* appello omnem illam ex Suar. quæ pressus homo nequit sibi subvenire ex proprijs, sed eget alterius auxilio ad evitandum grave aliquod damnum salutis, honoris, statûs, famæ, fortunarum vel similibus bonorum, in quo sensu sat communiter recepto est evidentissimum non omnem necessitatem gravem esse ferè, aut propè extremam, atque adeo nec adeo gravem, ut à furto excuset, gaudeatque privilegio extremæ, quo etiam non gaudet jactura rei familiaris vel statûs justè acquisiti. His elucidatis.

305. Dicendum est surreptio in evidenti extrema, aut valdè gravi necessitate caret vitio furti, secùs in gravi ut contradistincta à communi. Prima pars est omnium. Secunda affirmata est autoritate scripturæ & ratione explicata numero priore.

priore: Moraliter enim æquivalet extre-
maz, adverti que cit. Hurtadus num. 23.
ex S. Thom. in 4. distinct. 15. q. 2. Art. 1.
prope finem non esse expectandum, ut
necessitas ultima, seu extrema sit actu
contracta, sed sufficit ex parte accipientis
metus ejus adeo gravis, ac probabilis, ut
satis prudenter cadat in virum constan-
tem.

Pars tertia probatur: quod talis ne-
cessitas nullum præbeat egenti jus ad sur-
reptionem, seu Dominus sit rationabili-
ter invitus, atqui hoc ipso surreptio est
furtum, ergo. Major probatur hic ex S.
Thoma q. 66. Art. 7. sed quia, inquit,
multi necessitatem patientes, & non
potest ex eadem re omnibus subveniri,
committitur arbitrio uniuscuiusque di-
spensatione propriarum rerum, ut ex
eis subveniat necessitatem patientibus.

Ex quo sic Argumentor: vel omnes e-
gentes habent jus ad ea necessaria, vel
non, sed unus aut duo determinati; non
hoc secundum, quia nulla Authoritas de-
terminavit à quo divitum, & cui egenti
subveniendum præ alijs: non etiam pri-
mum: quia tale jus ob frequentiam gra-
viter egentium est impossibile ob impos-
sibilitatem ex eadem re omnibus subve-
niendi, & Respublica, ut observat Les-
sius, plena foret furtis, rapinis, nul-
laque pax servare posset.

Dixi in conclusione quod necessitas
debeat esse evidens: nam talem expressè
requirit cit. loco D. Thom. mox sub-
dens: Si autem sit adeo evidens, &
urgens necessitas, ut manifestum sit in-
stanti necessitati de rebus occurrenti-
bus subveniendum esse, puta cum im-
minet periculum personæ, & aliter sub-

veniri non potest, tunc licitè potest si-
ve manifestè, sive occultè ex rebus sub-
latis alienis sua necessitati subvenire.
Ratio autem est, quod nisi sit evidens
necessitas extrema, aut valde gravis præ-
valeat jus certum Domini per n. 301. con-
tra debitum non liquidum, sitque me-
lior conditio possidentis, quam egentis.

306. Objicies primò si extremè,
aut quasi extremè egens citra furtum pos-
set surripere, haberet jus Justitiæ ad sur-
ripiendum, consequenter dives obliga-
tionem ex Justitia ad dandum, sed hoc fal-
lit, cum teneatur solum dare ex misericor-
dia, vel charitate, aliàs etiam post transa-
ctam necessitatem teneretur restituere.

Respondeo primò cum communiore
ex Vasq. Distinguo majorem: haberet jus
justitiæ ad surripiendum, postquam di-
ves agnoscitur nolle dare, aut non datu-
rus etiam rogatus concedo majorem (tunc
enim pauper habet jus ad rem, cui citra
injuriam dives, etsi habeat Dominium,
resistere non potest, & si resisteret, vim
vi posset repellere, Hurtad. n. 15.) ante-
quam agnoscatur nolens sponte dare nego
majorem. Quare dives nolens dare spon-
te, peccat non in legem justitiæ, sed
misericordiæ, & charitatis, obligatur
tamen ex justitia non resistere volenti oc-
cupare, postquam sponte non vult dare;
sic Distincta majore pariformiter distin-
guitur minor, ad cujus probationem ne-
gatur restituendi obligatio (nisi aliquid
pateretur damnum emergens pauper occa-
sione violenter impeditæ occupationis rei
necessariæ. Hurtadus num. 37.) justi-
tia enim non obligat, dum damnum non
perseverat, sed est pure præteritum, uti
hic fit.

Re-

Respondeo secundò cum Laym. L. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. à n. 85. Sanch. L. 1. Consl. c. 5. dub. 5. n. 59. Carden. crisis Theolog. Disput. 20. à num. 85. Concedo majorem eamque ulterius probo primò quod DEUS dederit hominibus Dominium cum onere rigoroso succurrendi extremè egenti, seu inierit contractum innominatum, *do ut des, aut do ut facias*; sed si ita est, egens habet jus ad rem adversus divitem, ergo. major probatur: ex Sanctis Patribus secundum quos, ut constat ex textibus apud Cardenas à n. 90. panis & vestimentum superfluum divitis est panis famelici, & vestimentum, sed si est panis famelici &c. & non erogans invasor alienorum extremè egens habet jus ad rem ergo.

Confirmatur ex Petro Hurtado, omnis homicida peccat contra Justitiam, sed denegans Eleemosynam extremè egeno, est hujus homicida, ita D. Ambros. apud Gratianum dist. 86. c. *pasce, pasce*, inquit, *fame morientem, si non pavisti, occidisti*. Consonat Ecclesiasticus c. 34. *panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum, homo sanguinis est*, quæ verba Lyran. exponit de extrema necessitate cit. Hurtad. 2. 2. 10. 2. D. 159. §. 28.

Eadem major probatur secundò ratione: DEVS ut Author naturæ condidit omnia communia, seu cum jure à quovis usurpandi, quantum fuerit necesse, cui juri in rerum divisione non præjudicavit ut Author naturæ, nec præjudicare poterat, ergo dum per divisionem sunt singulis bona applicata, his non est datum Dominium sine onere succurrendi extremè indigis, & sic habent jus ad rem non determinatè, id est, non respectu hujus rei v. g. pecunia potius, quam cibatio-

rum, sed indeterminatè cum jure eligendi, & reterminandi, quod maluerit, Dominio, sive jure in re remanente penes possessorem, donec egeni occupent. Res occupanda ab egeno non est formaliter communis, uti erat ante divisionem, aliàs quivis posset occupare, sed est æquivalenter communis soli egenti, quatenus respectu hujus habet eundem effectum, quem haberet respectu omnium, si esset formaliter Communis.

307. Objicies secundò, quando dives tenetur graviter succurrere, potest graviter egens surripere simpliciter necessarium ad evitendam egentiam (excedens hanc quantitatem peccat contra Justitiam Carden. n. 115.) sic dives tenetur graviter, seu sub mortali succurrere graviter egenti saltem ex superfluis, ut Cardenas à n. 22. tradit velut sententiam ex Principijs intrinsecis certam, cum plerique Doctores oppositam ut improbabilem, in conscientia non tutam censurent Suarez de charitate Disp. 7. sect. 3. n. 6. Petrus Hurtad § 82. Gran. &c. ex Matth. 23. ubi Christus docet multos damnandos propter denegatam pauperibus Eleemosynam: *Ita maledicti &c. esurivi enim & non dedistis mihi manducare: & Luca 16. Dives epulo est Sepulchrum in inferno ob denegatam mendico Lazaro Eleemosynam, sed hæc, & alia Testimonia scripturæ, & Sanctorum Patrum exponi non possunt de extrema necessitate: quia Lazarus non egebat extremè utpote existens in civitate opulenta, in tali enim mendici nunquam extremè egent. Deinde extrema necessitas est rarissima, unde de hac non loquitur Christus apud Matthæum, ubi adducit ut quid valde commune damnationi reproborum, tum quia esurietis,*

stis, nuditas stat sine extrema necessitate. Probatâ sic minore Syllogismi probatur etiam major: Si enim graviter tenetur dives succurrere graviter egenti, habet Dominium cum onere graviter egenti succurrendi, consequenter hic habet jus ad rem respectu quantitatis necessitatis ad evitendam egentiam.

Ob hoc argumentum Cardenas n. 127. & ad propositionem 36. Innoc. Dissert. 23. n. 21. asserit, graviter egentem posse surripere quantum est necesse simpliciter, sine vitio furti, quin damnationis censuram incurrat servatis decem conditionibus, inter quas præcipua est, ut unicus sit ejusmodi pauper: quia quando multi sunt, urget, argumentum allatum ex S. Thoma n. 305. secunda, ut evidens sit hunc divitem habere superflua natura, & status &c. sed complexum hujusmodi decem conditionum est moraliter impossibile, ut sufficienter colligitur ex his duobus omissis ceteris proinde non damnatur de sententia speculationis, eam non tamen ut falsam etiam sub ijs conditionibus rejicit n. 34. quia etiam sub illis graviter egens non habet pro se rationes evidentes, & dives est certus possessor rerum suarum.

Respondeo ad argumentum: nego majorem ad probationem Distinguo, si habet Dominium cum onere ex misericordia, aut charitate succurrendi graviter egenti hic habet jus ad rem nego; si habet dives Dominium cum onere ex justitia succurrendi egens habet jus ad rem concedo.

Pro Reliquis nota primò quod viro nobili, & gravi potius sit mendicandum, quam utendum medijs furtivis, aut vio-

lenti, ita Didacus Hurtad. Dissert. 22. n. 32. ex communi strenue propugnata à Maldero 2. 2. q. 32. dub. 6. dicente: pudorem contrarium nec esse sanctum, nec Christianum, sed vanam hominum superbiam, quibus involuntaria paupertas probrosa apparet: est sane laboriosa, sed qui laborando, vel serviendo potest comparare necessaria ad vitam non eget valde graviter &c.

Nota secundò cum eodem Hurtado n. 33. quod clandestina acceptio alienæ rei sapius excuset à furto ratione licentiæ, quam alter ex misericordia, aut alia virtute dare tenetur, non quod præcisè licentia ex aliqua virtute sub peccato debita se sola inmediate faciat licitam acceptionem, sed quia exinde prudenter præsumitur Dominum non rationabiliter esse invitum quoad substantiam (etsi clandestinus modus fortè ei displiceat, quæ displicentia non est peccatum mortale, Lugo Dissert. 16. n. 140) aliàs in dubio præsumi posset alterius peccatum nempe denegatio licentiæ illi illicita, si rogaretur.

Nota tertio ex Laym. l. 3. tract. 3. p. 1. c. 1. n. 5. haud facillè damnandum peccati mortalis, qui à divite præsertim prius rogato auferit, quantum necesse est ad sublevandam gravem necessitatem.

Nota quarto negandum esse, quod ubi est locus Justitiæ, non sit locus Eleemosynæ, aut è contra, etsi enim Justitia sit debiti solutio, Eleemosyna vero necessitatis subventio, uterque tamen titulus potest concurrere, ut si debeas centum Petro hic autem incidat in urgentem necessitatem.

Nota quinto valde esse difficile doctrinaliter discernere quisnam? cuiusnam?

nam? quantum? ex quibus bonis? in qua necessitate? Eleemosynam dare teneatur; & adhuc operosius est in facti contingentia decernere, an re vera hic, & nunc concurrant omnia necessaria, ut Dominus iudicet se in usu rerum suarum postponendum esse pauperi E. g. utrum habeat bona illa superflua vitæ, vel statui, unde satisfieri debet urgenti necessitati. Et licet plenè constaret esse divites, ac superfluis abundare, ex quibus est subveniendum extremè, aut valde gra-

viter egenti, debet adhuc insuper conlatare, quod alia media minus incongrua deficient, quid enim si alij sint in promptu, qui necessitati essent subventuri eam non rogati, sed duntaxat consilij ipsius? quid si pauperi petenti opportuna subsidia non deerunt, & quidem etiam secreta, si ita velit, ut consulat verecundiæ cit. Didacus Hurtad. n. 24. inde deducens id, quod jam in notatione prima expressimus.



ARTICVLVS QVINTVS.

De iniustitia in bonis famæ, & honoris.

308. **F**ama secundum Theologos est bona multorum estimatio de aliquo concepta circa ejus vitam, & mores, seu ut ait Haunold, tr. 2. n. 495. de bonis nostris, ut sunt virtutes, ingenium, Doctrina, divitiæ, forma, nobilitas, valetudo bona, gratia, favor Principum &c.

Honor est testificatio de alterius Excellentia, seu Eminentia supra alios, cujus intuitu ab his debeat illi reverentia, & submissio: unde differt à laude, quod hæc præscindat, an propter bonum laudabile quis sit præferendus alijs: & patet: quomodo DEUS, ac Princeps possit honorare subditos, nempe testificando dignos, quibus se alij submittant,

Fama proximi violatur primo actibus internis, scilicet iudicio temerario, opinione temerariâ, suspitione & dubitatione. Judicium temerarium est firma animi sententia de malitia alterius levis indicij formata: est semper peccatum ex genere suo mortale, ita S. Thom. 2. 2. q. 60. Art. 3. nisi excuset defectus plenæ advertentiæ. Qualitas materiæ in eo non est explicanda, quia hæc in genere moris non mutat ejus speciem, Tamb. Exped. Conf. L. 2. c. 9 § n. 3.

Suspicio vel est simplex intellectus inclinatio in unam partem præ alia absque ullo determinato assensu, vel secundum alios est deliberatus, sed imperfectus, & levis assensus cum magna formidine oppo-

oppositi, ita Dicast. hic *Lib. 2. tr. 2. Disp. 12. dub. 2 n. 11.* & colligitur ex S. Thom. cit. in *Corp. suspicio*, inquit, importat opinionem mali, quando ex levibus indicijs procedit. Per se loquendo non excedit culpam levem, nisi esset de enormi malo E. g. Sodomia personæ dignissimæ V. g. probi Episcopi, per accidens erit mortale, ut si suspicio rei gravis pluribus manifestetur; tunc enim regulariter est grave periculum famæ amittendæ.

Dubitatio hic non sumitur strictè pro suspensione intellectûs, seu pro eo, quod neutri parti assensum præbeat, sed quod intellectus adducat bonitatem proximi in quæstionem discutiendo, & examinando cum diffidentia de ea, Molin. *tract. 4. Disp. 16. n. 12. Amicus Disp. 37. n. 17.* addens, quod non solet transcendere venialem malitiam, nisi foret de enormi crimine, secundum Laym. *L. 3. tract. 3. p. 2. c. 2. n. 6.* nisi talis dubitatio sit de rebus ad fidem pertinentibus; dubius enim in fide habetur pro hæretico. *Cap. 1. de hæreticis*, Amic. cit.

Opinio temeraria, seu iudicium plene assentiens, sed cum formidine oppositi, quod alter sit malus ex levibus & insufficientibus indicijs dupliciter concipi potest. Primò ut si incipiens dubitare de insufficientia ad sic iudicandum, attamen ex odio, contemptu, ac malevolentia persistit in opinione, de gravi proximi peccato, ejusmodi opinio est peccatum mortale: quia procedit ex malitia, estque plene voluntaria excludens animi præparationem ad bene sentiendum de proximo, si adverterit indiciorum insufficientiam Less. *Lib. 2. c. 29. dub. 3. n. 17. juncto 21. & 28.*

Secundò, si citra malevolentiam opinatur malum apprehendens indicia sufficientia ad opinandum, licet aliquo modo dubitet de sufficientia ad sic opinandum, negligat tamen eorum examen, paratus interim desistere post advertentiam ad eorum insufficientiam, talis opinio non est plene voluntaria in esse temeraria: quia ad hoc necessaria est advertentia ad insufficientiam, ut sit in opinione primi generis, idcirco hæc secunda per citatum Lessium à. n. 17. & Haunoldum *tr. 2. n. 521.* per se loquendo non est mortalis contra aliquos, quibus favet Lugo *Disp. 14. n. 14.*

Opinionem temerariam S. Thom. comprehendit sub suspitione, ut colligitur ex definitione ejusdem allegata, notatque Less. n. 6.

Ex his à contrario sequitur, quod infamia famæ bonæ opposita sit mala multorum æstimatio de aliquo concepta circa ejus vitam & mores, proinde tam fama, quam infamia formaliter consistat in iudicio, seu interna æstimatione.

309. Secundò violatur fama etiam actibus externis primò factis, ut si quis appendat cornua foribus alterius in signum adulterij. Secundò verbis, & quidem dupliciter nempe contra absentem, vel præsentem malè loquendo; contra absentem dicitur detractio, quæ est famæ occulta, & injusta imminutio; contra præsentem dicitur contumelia, quæ est injusta alieni honoris imminutio, unde directè tollit honorem, & simul famam imminuit, differtque specie morali à detractio, quia diversa bona auferunt nempe famam, & honorem.

Utraque est peccatum ex genere suo mortale. Ita S. Thom. *Art. 2.* tollunt enim

R 1 2

enim magnum bonum, unde Ecclesiastici 41. dicitur: *Curam habe de bono nomine. & proverb. 22. est melius nomen bonum multis divitijs.* Contumelia est gravior detractio, quia infamat, & simul tollit honorem; una tamen contumelia non differt specie ab altera, Lugo n. 190.

Detractio est simplex, si non tendat in perturbacionem honestæ pacis, concordia, & amicitia inter consanguineos, domesticos, & familiares, si ad eam tollendam tendit, dicitur susurratio, unde est deterior contumeliâ: amicitia enim est nobilior utpote finis famæ, & honoris, quapropter specie differt à detractio, & contumelia S. Thom. q. 44. Art. 1.

Dixi *honestæ amicitia*: quia amicitia turpis, & perniciofa meritorie dissipari potest nota vitia, & defectus unius Amici narrando coram alio; imò etiam occulta, si necessarium est; quia infamia merito postponitur bono majori sperato ex dissoluta turpi amicitia, Dicastillo.

Convitium, impropetium, & contumelia in eo conveniunt, quod omnia obijciant defectum in detrimentum honoris; differunt, quod contumelia fit de defectibus moris; convitium de defectu pænæ, aut naturæ v. g. vocando cæcum vel gibbosum; impropetium exprobrat defectum egentia injuriose commemorando præstitum auxilium patienti necessitatē. Hæc tria vitia sub unica specie comprehendit S. Thom. q. 72. Art. 1. ad 3. quia specificatur ab unico fine, qui est inhonoratio intenta per media diversa.

Econtra contumelia per S. Thom. *quest. 75. Art. 1.* convenit cum irrisione, seu dirisione, quod utraque palam, seu in præsentia fiat, at differt sine, ac objecto formali, quia finis contumeliæ direc-

tus est inhonoratio; irrisionis verò erubescencia, & confusio atque contristatio derisi, & ideo licet defectus parvus obijciatur; ejus tamen gravitas crescit, ex contemptu personæ, vel si hæc prævideatur graviter contristanda, unde est peccatum specie distinctum à contumelia, & quidem hæc gravius secundum cit. S. Thom. juncto Art. 2. qui enim irridetur, habetur pro ludo, risu, ac parvipenditur. Hinc deducit S. Thomas gravissimum esse irridere DEUM. Secundum locum tenet irrisio Parentum; Unde dicitur proverb. 30. *oculum qui subsannat Patrem effodient eum corvi de torrentibus.* Tertium irrisio justorum; nam honor est virtutis præmium; contra hoc dicitur Job, 12. *deridetur justus simplicitas.*

Subsannatio à derisione juxta cit. S. Thom. Art. 1. ad 1. non differt sine, consequenter nec specie, sed in modo, quod irrisio fiat verbis, cachinnisque, subsannatio verò motibus Corporis, præsertim naso rugato.

Detractio est duplex directa, & indirecta, quæ distinctio, ut notat Dicastillo dupliciter sumitur. Primò pro detractio-
ne formali, & materiali, formalis enim fit ex intentione infamandi secus materialis, sed ex quadam loquacitate: non differunt specie, quando materialis fit sine justa causa cum advertentia ad denigrandum: directum enim, & indirectum voluntarium, communiter non variat speciem, ut notum est apud Theologos. Alio modo sumitur directe, ac indirecte, & utrumque quidem quadrupliciter: qui octo modi comprehensi sunt his versibus:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisit. Di-

Directè igitur detrahit primò, qui crimen falsum imponit; secundò qui verum auget; tertio, qui occultum revelat; quartò, qui opus bonum malâ iurentione factum allerit. Indirectè verò primò negando alterius bonum; secundò illud extenuando; tertio reticendo, dum debes, & potes loqui de bonis alterius; quartò frigide laudando.

310. Quæres primò an iudicium temerarium, & detractio sint ejusdem infimæ speciei? secundò an detractio, & contumelia sint peccata graviora furto, adulterio, & homicidio? tertio an detractio sit gravior maledictione? Duplex distinguenda est fama cum Lugo *Disp. 14 n. 33*, radicalis, & formalis; Hæc est ipsum actuale iudicium E. g. de Doctrina Petri; radicalis sita est in habituali notitia, sive in speciebus acceptis de Doctrina Petri, quæ species, quando excitantur, inclinant nos ad iudicandum Petrum esse E. g. doctum, quamdiu caremus speciebus oppositis, seu inclinantibus ad contrarium iudicium. Unde cum detractio, quantum est de se ingeneret contrarias species, quibus opprimantur inclinantes ad æstimandam Petri Doctrinam, tollit famam etiam radicalem, quam in suo subiecto non aufert iudicium temerarium, sed relinquit totam, vi cuius sine alio instructore sic iudicans potest apud semetipsum restituere bonam æstimacionem, seu iudicium reflectendo se supra insufficientiam motivorum fundantium temeritatem,

Respondeo nunc ad primum cum Cit. Lugo Hurtad. *tr. 2. n. 537*. contra Molin. *D. 13*. negativè; quia est specialis ratio prohibendi detractioem præ iudicio temerario; hoc enim non tollit famam radicalem, secus detractio, ut dictum.

Respondeo ad secundum ex tribus bonorum generibus maximum est bonum vitæ, secundum bonum famæ, & honoris, tertium bonum fortunarum. Hinc sequitur homicidium esse gravius cæteris contra proximum, quia tollit bonum gravius, & cum adulterium sit contra debitum ordinem generationis humanæ (copula matrimonialis est via ordinaria ad generationem) per quam est introitus ad vitam, hinc adulterium est minus homicidio, gravius autem detractio, & contumeliâ, utraque autem est gravior furto, quia famæ bonum prævalet divitiis.

Respondeo ad tertium ex eodem D. Thoma *q. 76. Art. 4*. maledictionem esse minus peccatum, dum operatur malum pœnæ, seu simplex huius desiderium exprimit, quam sit detractio, susurratio, contumelia, & irrisio, posse autem esse majus peccatum, si causet malum pœnæ per modum imperij, seu causæ, quando nempe causat majus nocumentum; ac cum dicere malum culpæ sit pejus, quam dicere malum pœnæ, ut operari malum mortis &c. hinc maledictio in linea sua est minus peccatum detractio, contumeliâ &c. Pro clariore horum notitia.

Nota quod maledictio ex S. Thom. *Art. 1*. nihil sit aliud quam mali dictio; tripliciter autem possit quis malum dicere. Primò enuntiativè, seu simplici relatione mali culpæ alterius; sic convertitur cum detractio. Secundò imperativè, seu imperando alteri, ut malum aliquod inferat alicui. Tertio optativè, seu pro desiderio, ut malum, quod dicit, eveniat: maledictio sumpta secundo, & tertio modo est imprecatio, id est, mali exoptatio, si exoptatur malum sub ratione mali, vocatur maledictio formalis ex

genere suo mortalis. Primò contra charitatem in genere odij. Secundò contra justitiam, si imperetur malum proximo inferendum. Tertiò si fit cum præsentia proximi hunc inhonorando, habet etiam speciem contumeliæ, si contra præsentis parentes est species impietatis; pietas enim obligat ad debitam parentibus reverentiam; si est contra DEUM, licet non optetur, est Blasphemia. Dixi *ex genere suo*; quia si malum sit exiguum, aut grave ex imperfecta deliberatione optatum, est peccatum veniale, Fagundez *ad præceptum S. Decalogi c. 12. n. 20*

Quando autem optatur malum sine desiderio, ut eveniat, aut ut eveniat, sed non sub ratione mali, sed boni, aut justii (qualiter Judex maledicit reum præcipiendo, ut puniatur pœnâ justâ, & Ecclesiâ anathematizando, quo sensu etiam Prophetæ in scriptura imprecantur mala peccatoribus se conformantes divinæ justitiæ) aut boni utilis, ut dum peccatori optatur ægritudo, ut exinde resipiscat, aut cesset nocere alijs (hoc modo orat Ecclesiâ contra infideles, ut dexterâ potentis divinæ conterantur) nullum est peccatum, ita cit. sanctus Thomas.

At imprecatio mali etiam sub ratione mali non excedit culpam levem, quando fit sine animo, & desiderio, ut id eveniat; quia peccata verborum, ait S. Thom. *quest. 73. Art. 2.* sunt maximè ex intentione dicentis dijudicanda, aut ex damno quod infertur, quorum neutrum hic adest.

Molin. *Disp. 18. n. 4.* limitat ut sit mortalis maledictio etsi proferatur sine animo eventus; Primò si fit contra DEUM, quia est gravissima Blasphemia; Secundò si fit contra Parentes, Prælatum vel herum; Tertiò si quis se Dæmoni devo-

vet, sed rectius Lugo *Dispnt. 14. n. 296.* Concesso primò casu in secundo id ipsum concedit, quando in faciem maledicitur, secus in absentes; unde ex ira erumpens dicendo: maledicta sit, quæ me genuit, citra mali desiderium in mortuam jam genitricem, non peccat mortaliter, uti nec in tertio casu, imprecatio enim mali contra se liberatur à gravitate ex jisdem causis ex quibus contra alios; addit tamen ex alio capite regulariter similem imprecationem esse mortalem; quia eam proferentes apprehendunt in illis verbis gravem deformitatem.

Demum ait Lugo secundum omnes maledictiones in creaturas irracionales creatas etiam ex corde in jis sistendo non esse mortalia, quia boni, & mali illa sunt incapaces, sunt itaque verba otiosa, & vana, consequenter venialiter illicita, S. Thom. *quest. 76. Art. 2.* Dixi *in jis sistendo*, quia ut notat ibidem S. Thom. maledicere illis quatenus sunt creatura Dei est Blasphemia, aut optare ruinam earum cum damno proximi v. g. ut pereat grex cui vicini est mortale contra charitatem, &c.

An species mali proximo exoptati sit explicanda in Confessione scilicet an fuerit malum corporis vel spirituale vel infamia, &c. est incertum. Affirmat Molin. *Dispnt. 22. n. 3.* sed etsi hoc ut probabile tenuerim in tract. de peccatis *n. 88.* dixi tamen ibidem negativam esse practicè tutam; nempe quando sub generali ratione mali considerantur, sic enim eidem virtuti dilectionis proximi opponuntur, secus justitiæ, uti fit, quando efficaciter desiderantur. His sic stabilitis inquirendum discernendi principium, quando detractio sit mortalis, quando venialis, & reliqua huc pertinentia expedienda sunt.

§. I.

Unde mensuranda sit gravitas aut levitas detractio-
nis.

§II. **D**ico primò tunc materia infama-
tionis, & inhonorationis est
mortalis, quando attentâ qualitate per-
sonæ sufficit ad rationabilem, & gravem
indignationem, ita Gormaz *Disput.* 13.
n. 791.

Probatur ea est gravis materia contra
famam, & honorem, quâ positâ quisque
prudens judicat eam ex natura sua suffice-
re, ut moveat rationabilem gravem di-
splicentiam, secus si solùm de se inducit
displicentiam levem cum aliquali repidi-
tate in benevolentia, & mutua pace, sed
hanc regulam ponit conclusio nostra, er-
go.

Dico secundò gravitatem detractio-
nis, & contumeliæ non posse præcisè de-
sumi ex gravitate peccati, ita Gormaz
n. 704. contra aliquos, quia potest pec-
catum mortale dici de persona infami citra
peccatum mortale, quando illud est affi-
ne alijs peccatis ejusdem personæ publicis,
ut de concubina, quod miserit amato-
riam Epistolam, &c. pariter levitas pec-
cati non mensurat detractioem: morta-
le enim est dicere de viro gravi E. g. Epi-
scopo quod sit mendax, licet hoc secun-
dum se sit veniale. Quare discerni non
potest gravitas, aut levitas detractio-
nis, nisi ut observat Amicus *Disput.* 37. n. 27.
attentis circumstantijs qualitatis, perso-
narum scilicet detrahentis, & cui detra-
hitur, coram quibus detrahitur, quo lo-

co, tempore & loquendi modo. Ratio
hujus, & præcedentis conclusionis appli-
canda est subjiciendis illationibus obser-
vando circumstantias præfatas.

312. Infero igitur primò vitium a-
liquando denuo dictum est infamia, aut
nulla aut levis, ut si dicatur de jis, qui se
iplos de similibus jactant, ut de juvene-
parum honesto, quod sit deditus amoribus,
aut sceminam ad peccandum desiderarit,
de milite, quod puellam deceperit, ad
duellum provocaverit, &c. è contra mor-
tale foret dicere de honesta matrona,
puella nobili, adolescente morigerato,
quod sit amoribus deditus, qualitas enim
peccatorum carnis valdè maculat vitam i-
ta comūnis cum Fagund. n. 7. ad præcep-
tum octavum cap. 2. Amic.

Infero secundò infamare nominibus
generalibus seu communibus peccato mor-
tali & veniali est regulariter veniale, ut
quod sit superbus, avarus, iracundus, &c.
similia enim potius indicant inclinatio-
nem, aut levem defectum quam gravita-
tem ita Doctores passim.

Infero tertio probabilius esse mor-
tale in materia gravi detrahente etiam a-
pud unum prudentem secreti tenacem,
secluso etiam omni alio damno, Lugo
num. 51. *Disput.* 14. cum Molin. Iess.
Laym. ex S. Thom. q. 73. Art. 1. ad se-
cundum agente: etsi uni soli aliquis de
absente dicat, corrumpit famam ejus

non

non in toto, sed in parte, nempe in uno solo audiente illasâ de reliquo famâ apud alios, idcirco detractio hac non causat infamiam utpote sitam in notitia multorum per *num. 308*, sicut & fama. Exinde autem non sequitur, quod non graviter noceat: sicut etsi fur divitem non depauperet, non sequitur eum graviter non peccare. Ratio autem est: quod bona etiam apud unicum virum gravem aestimatio sit valdè aestimabilis. Hinc communis Doctorum obligat, si commode potest pœnitens confiteri confessario non noscenti complicem, dum sine hujus revelatione nequit peccatum explicare.

Oppositam sententiam docent Navarrus Cajet. ad cit. *D. Th. Art. 2. in princ., &c.* se fundantes in praxi pœnitentiam revelantium complicem notum confessario, & conjugum colloquentium de vitijs filiorum, & Domesticorum. Verum primum exemplum probabilius negamus; sed eo transmissio est disparitas, quod licet revelatio hac graviter lædat famam, excusatur tamen pœnitens titulo necessitatis, cum nequeat aliter exponere peccatum, Lugo *num. 52*, cum quo etiam excusamus conjuges: quia exinde pendet pax mutua inter Domesticos, ac bona gubernatio arcens contagiosos mores, quæ cum utrique incumbat, necesse est, ut uterque sciat, quales sint domesticorum mores. Ex eodem principio etiam alij non tantum Domesticici sed etiam externi possunt prodere Domesticorum defectus Patri familias ut judici domestico, nisi ut limitat Trull. *Lib. 7. Decal. c. 10 dab. 11. à num. 4.* sit moralis certitudo, quod privatim moniti se emendarent, & majus damnum non ti-

meatur secutorum Domesticis ab herede, aut parentibus.

Infero quartò ob solum levamen doloris non licitè injuriatus manifestat Amico, aut viro prudenti gravem injuriam cum ejus Authore, Haunold. *num. 549*, Amicus *num. 54*. nempe si crimen revelatum sit de genere graviter dehonestantis vitam; tanto enim damno postponenda est exigua consolatiuncula. Ex alio tamen capite licita est revelatio non titulo vindictæ utpote privato illicitæ, sed pœnitens titulo medij propulsandi injuriam, nam injurians ipso facto cedit juri suo, eo quod, secundum jus naturale & positivum injuriatus potest agere contra injuriantem actione injuriarum, ac eum adigere ad revocationem etiam cum nota infamiae, ergo etiam fas est pandere Amico Consilij petendi causa. Ex hoc principio cit. Haunold; tuetur sententiam istam, quæ est Lugo *num. 54*. Tamb. Less. ex communi: cavendum autem est, ne pluribus, quam sit, necesse, reveletur.

313. Infero quintò licitum est manifestare imperitiam Medici, Advocati, Confessarij, Artificis coram jis, quibus damnum imminere potest, inhabilitatem promovendi ad ordines sacros, aut beneficium, aut volentis ingredi Religionem, aut furis, aut morbo gallico laborantis, &c. volentis inire matrimonium, Dicast. *L. 2. tract. 3. Dispnt. 12. n. 100.* extendens *n. 104.* cum Petro Navar. &c. quod quis furtum commiserit, ne in famulum recipiatur, ac revelare iis quibus convivit, ut sibi ab eo caveant, Less. *lib. 2. c. 11. n. 57.* nisi, ut bene *n. 60.* limitat fraternâ monitione sit corrigibilis, aut correctus, quod etiam approbat Trullencis *dab.*

dub. 9. n. 2. cum hac cautela corrupti mores alicujus possunt revelari innocentibus, ne inficiantur, aut ne hujusmodi homo juventuti præficiatur: potest detegi simulatio, & fictio paupertatis, ne dos, vel Eleemosyna decreta pauperibus detur. Tota ferè illatio traditur etiam ab alijs cum Laym. *Lib. 3. tract. 3. p. 2. c. 3. n. 5.* Sapienter addente ex his non posse inferri, quod pauperis puella, quæ publicè habetur pro virgine (quam tum occulte scis corruptam) fornicatio possit prodi, ne illi detur dos relicta pro paupere Virgine, mens enim legantis alia non est, quam ut applicetur illi quæ more patrio pro Virgine habetur, unde talis juxta morem potest etiam citra culpam ferrum capite gestare, habetque jus dissimulandi suum defectum.

Infero sextò lethale est infamem de uno crimine infamare de alio diversæ rationis, ut dicere de notorie ebrioso, quod sit fur, aut concubinarius, aut è contra, secùs de alio crimine ejusdem rationis, aut de affini, & communiter annexo, aut de circumstantiâ noti criminis, ut referre nonum occultam furtum de noto fure plurium furtorum (plurium inquam, quia ex hoc, quod unum furtum innovaverit, non est fas referre aliud occultum, Lugo *n. 58.* putans communiter multum augere infamiam, hoc negat Amicus *n. 33.* et si falsum crimen affingeretur in eo genere vitij veri, de quo publica est infamia, quia non læditur notabiliter fama, utpote quæ supponitur in eo genere profligata) de adultero, quod miserit munera, aut patriverit tali in loco, aut de ebrioso, quod non curet familiam, rixetur cum uxore, Fagundez *c. 3. n. 8.* subdens *n. 10.* quod contra perjurum in judicio in una

causa possit excipi contra eundem in alia causa, stat enim contra illum præsumptio *ex R. J. in 6. semel malus, semper præsumitur malus.* Nempe secundum Gloss. in eodem genere mali; nisi præbetur emendatio criminis à perjurio distincti, perjurus autem post quamcunq; etiam penitentiam rejicitur, ira decisum est, *Cap. Testimonium 54. de testibus & atesta. Cap. parvuli 22. q. 5.*

Infero Septimò non est saltem mortale crimen occultum revelare innominato Authore, nisi redundet in familiam, aut ordinem, vel Monasterium: sic caret gravitate crimen Religiosi tacito hujus nomine, quando constat id crimen esse frequen in ea Religione, aliàs est mortale, dicere in tali familia est filia una deflorata, aut in tali Monasterio meretrix reperta, aut hujus Monasterij, aut Religionis Religiosus est fornicatus, aut in tali conventu non est observantia, aut male vivitur, Amic. *n. 29.* Bonnacini. *de resit. Disp. 2. q. 4. p. 2. n. 10.* Dicasti. *Disp. 12. p. 2. n. 108.* Laym. *n. 12.* quia tamen inquit congregatio Regularium reipsa non maculetur ex unius malitia, ut constat in Collegio Apostolico ex Judæ prodicione, simplices tamen, & imperfecti multipliciter scandalizantur, Trullench. limitat *dub. 14. n. 5.* ex Navar. ut non procedat de Ecclesijs Cathedralibus aut Collegiis tantam perfectionem non profitentibus E. g. dicere aliquem Canonicum talis Ecclesiæ, aut Collegij, comississe Simoniam, aut fornicationem.

Infero octavò plures cum scoto liberant à mortali eum, qui præcise narrat audita, nihil addendo, ex quo faceret credulitatem: eo quod raro talia credantur, aut fides sequitur potius ex levitate
S s audien-

audientium ex Ecclesiastici 19. *qui cito credit levis est corde.* Attamen ut hæc sententia vera sit intelligi debet in concursu circumstantiarum, in quibus est credibile Auditores non credituros, at si narrans prævideat illos propriâ animi levitate, aut malevolentia credituros, aut alijs divulgaturos, peccat graviter contra charitatem, secus contra Justitiam, dum narrata modusque ea referendi ex se non sunt apta graviter nocere proximo; erit autem etiam contra Justitiam, proinde onus restituendi, si narretur nominatâ personâ fide dignâ, à qua audivit, ita Molin. *tract. 5. Disp. 30. Lugo n. 56. Laym. n. 7.*

314. Infero non potest esse mortale contra Justitiam etiam de mortuis crimen occultum grave manifestare, quia omnia eorum retinet jus ad famam. *Dixi potest:* quia cæteris paribus minus delinquitur, eo quod minus famâ egentes eam non ita curent, Molin. *Disp. 28. Laym. n. 13. Haunold. n. 546.*

Lugo *num. 46.* illationem extendit etiam ad mortuos, quorum damnatio ex fide constaret, aliàs citra injustitiam quis posset dicere de hæretico, quod fuerit perduellis in Regem, Patriæ Proditor; de Lucretia, quod fuerit publica meretrix; de Cicerone, quod fuerit imperitus, & Aristoteles ignarus. Ratio est: quia adhuc sunt nostri proximi quoad naturam humanam, etsi non sint ordinati ad finem supernaturalem; sicut in humana Republica de condemnatis, ut Reipublica hostibus ad mortem occulta crimina referte est gravis injustitia.

Respondeo citra injustitiam, & obligationem restituendi posse de ijs, quos constaret esse damnatos gravia crimi-

nâ recenseri: quia nullum retinent jus proprietatis in famam; hoc enim constituitur per legem faventem in commodum proprietarij nulla autem lex divina ijs favet, utpote hostibus DEI, ac incapacibus omnis felicitatis, commodique proprij: unde negatur esse proximos nostros, proinde sequelæ citra absurdum conceduntur. Lata autem est disparitas: inter damnatum à DEO, & Republica, quod hic non sit spoliatus omni jure, sed duntaxat quoad crimina, propter quæ puniatur: ita Haunold. *cit. & n. seq. Molin. Cit. & Disp. 44. & 45. ac tom. 4. D. 24. post conclus 3.*

Ex priore parte illationis communiter deducunt Doctores etiam Historiographos contra Justitiam peccare graviter cum restitutionis onere occulta mortuorum crimina scriptis mandantes, secus publica jam oblivione oblitterata, aut intra fines alicujus Civitatis, aut Provinciæ nota, ut posteris consent ad aliorum Exemplum, & terrorem Molin. *tom. 5. Disp. 28. Laym. n. 13.*

315. Infero decimò certum esse quod aliqua necessitas propria vel etiam aliena faciat licitam occulti criminis revelationem, sic ego sciens crimen Religiosi licitè revelo Prælate, quando ego æquè benè corrigere non possum (aliàs ordo à Christo præscriptus correctionis fraternæ servandus est in Religiosis non cedentibus juri propriæ famæ, Amicus *n. 34.*) postulat id necessitas delinquentis, aliena verò in casibus in illatione quinta adductis. Item quando nequit averti periculum imminens comunitàti, aut privato, nisi manifestetur crimen, unde si sciam Petrum esse homicidam, at Paulus pro reo haberetur, possum & teneor prodere Judici præmo-

nito Petro, ut se in tutum recipiat, Amicus n. 35. subiciens fas esse Consilij pendendi causa viro prudenti pandi crimen ab eo, qui ignorat, an possit id manifestare, & quomodo.

Præterea ad vitandam mortem, mutilationem, vel tormenta gravia tuum, vel tuorum fas est prodere crimen occultum, etiam tibi secreto Commissum; quia alter non habet jus conservandi famam duntaxat existimatam, seu apparentem, seu reipsa falsam cum tanto tuo, vel tuorum incommodo: hoc enim jus ut observat Lugo num. 104. est limitatum, proinde obligat solum, quamdiu non expedit propalari, expedit autem propalari, quando ex secreti occultatione innocens grave damnum pateretur, videlicet tantum, quantum non tenetur quis ex lege charitatis subire ad impediendum grave damnum alterius. Sufficit itaque si sine causa urgente non possunt propalari defectus, secus eâ urgente, ita Haunold. à n. 536.

Dixi tibi secreto commissum (idem est si aliâ via justè comparâsti ejus notitiam) nam si comparâsti injustè, nempe per fraudem, vel illicitam inquisitionem, vel litterarum apertionem Haunold. n. 535. distinguit cum Lugo n. 101. concedendo te posse, uti, quando tanta incidere necessitas, ut ob hanc posses justè tibi comparare notitiam, si ea careres, etiam per vim E. g. per tormenta, per fraudem litteras intercipiendo, & referando, quo casu notitia injustè primitus comparata perinde se habet in præsentî, ac si nunc justè esset acquisita: sicut si quis vi, aut fraude claves ad scrinium continens pecuniam acquisivisset, redactus ad necessitatem extremam potest licitè uti clavibus iisque referare, ac tibi tollere, quod est necesse ad

sublevandam necessitatem extremam: unde sicut clavium violentus usurpator non potest justè uti clavibus ob bonum suum inde resultans; nec ad quodvis malum paupertatis vitandum, sed necessaria est extrema, aut huic proxima necessitas, ita in casu nostro non sufficit tantum malum (propter quod vitandum licitè posset secretum licitè acquisitum propalari) ut sit licitus usus notitiæ secreti injustè acquisitæ, sed longe majus, disparitatem dat Lugo n. 104. quod jus in secretum sit rigorosius jure in famam existimatam, seu apparentem: hujus enim inviolationem natura intendit propter communem pacem; & quietem, cui expedit, ne crimina vera propalantur sine urgenti causa, jus verò in secretum non propter pacem communem, sed ex Principijs intrinsicis natura habet adeo firmum ut DEUS Author naturæ nec Angelis arcana libera patere voluerit, Lugo n. 103. tres adducit casus, in quibus per modum justè defensionis est usus licitus notitiæ justè acquisitæ primo ad repellendam vexam, quâ me, vel alium innocentem injustè vexat, tunc enim titulo defensionis justè possum litteras interciperi, & referare. Secundò, quando ipsemet in talibus circumstantijs crimen suum teneretur patefacere, ut si à se occisi cadaver poneret ad portam alterius, ut cum induceret in suspicionem, possum ego uti licitè notitiâ injustè acquisita. Tertio quando publica Reipublicæ salus publicatione criminis egeret. Extra hos casus notitia injustè comparata nequit justificari, sed perinde se habet, ac si eâ careret.

316. Infero undecimo publicitatem criminis exculare ulteriorum ejus propagationem à vicio detractionis: expedit enim

ignaros reddi certiores, ne honor referatur carentibus bonâ famâ, & præferantur dignis honoratione, proinde licentia ulterius propalandi est commodior Reipublicæ, quam sit damnum, quod delinquens subit ex propalatione, Haunold. n. 539.

Difficultas est, quanta, & qualis publicitas sufficiat, ut citra vitium detractionis queat delictum ignorantibus id in eodem, aut diverso loco manifestari? Publicitas est juris, vel facti: prior habetur per sententiam condemnatoriam publicatam, quæ transferit in rem iudicatam, & tunc secundum omnes licitè ubique locorum habentium commercium cum loco publicationis narratur, & secundum communiorem, veriorémque etiam in locis, ad quæ non facile noticia penetrasset: quia Judex etiam in his locis licite potest publicare, ergo etiam quisque alius Lugo num. 72. Haunold, cit. contra aliquos.

Dixi primò *per sententiam* quia ante hanc etsi sit reus in iudicio delictum confessus, aut de eo plene convictus, si tamen adhuc occultum manet nulli datur jus propagandi, Lugo cit. in fin. notans num. 79. non esse mortale peccatum vulgare si brevi sit ferenda sententia.

Dixi secundi *publicatam* quia etsi sit judicialis, & proforo externo, si tamen non sit omnino publica ex intentione iudicis, sed intra limites alicujus communitatis, qualis est sententia Prælati judicialiter puniens Religiosum, tunc est nefas sæcularibus referre delictum, aut pœnam, Lugo num. 73. ex Molin. tom. 5. Disp. 33. n. 7. Unde Inquisitores-S. Officij nequeunt referre sententiam occulte latam in Sacerdotem, aut Religiosum ob sollicitationem, aut aliud delictum: finis

enim Judicis occulte sententiam ferentis est consulere famam tum Rei, tum Ordini, aut statui: nihilominus non est culpa saltem gravis referre Religiosis ejusdem Ordinis scientibus jam capturam, ac in confuso, imò etiam alterius Ordinis, ad quos pervenit noticia capturæ Lugo num. 75. Laym. L. 3. tract. 3. pag. 2. o. 3. num. 10.

Responsum amplia etiam ad tempus, quo jam memoriæ sententiæ publicæ est oblivioni data: adhuc enim sententia legitima perseverat habitualiter, ergo nihil peccatur contra justitiam: imò nec contra charitatem contra Less. c. 11. dub. 13. num. 87. sicut enim bonum commune derogat juri ad famam, ita contemnit bonum privatum proximi post publicatam sententiam Laym. cit. Lugo num. 77. extendens num. 75. ad casum, quo infamia ex sententia redundat etiam in alios.

Publicitas altera est facti, quando nempe evidenter constat factum non apud paucos (horum noticia solum sufficit ad legitimam probationem in iudicio non ad publicitatem) sed apud tot ex illa communitate, ut nequeat ulla tergiversatione prudenti negari, aut celari Lugo n. 69. Laym. à num. 7. addentes idem dicendum si crimen sit notorium non quidem evidentiæ facti, seu in se, sed publicæ præsumptione, suspitione, infamiâ, unde potes citra mortale referre hanc publicam infamiam, præsumptionem seclusâ majore certitudine, seu asseveratione E. g. dicere talem Sacerdotem alere mulierem multis in vicinia suspectam conformiter cap. tuanos de cohabit. Cleric.

Quando publicitas est absoluta (si est limitata ad communitatem unius familiæ, seu domûs, aut Monasterij, aut etiam vicinæ

cinia, ut non facile notitia ad alios propaganda sit, propagatio est injuriosa Lugo num. 80. Laym. n. 10. Molin. tract. 5. Disp. 33. num. 7. damnans mortalis delictum grave notorium notorietati facti in uno cœnobio referentem in alio ejusdem Ordinis E. g. furtivum è cœnobio egressum cum continuo regressu) in aliquo oppido, Urbe, aut Provincia citra peccatum contra charitatem, aut justitiam posse narrari alijs in eodem loco ignorantibus, etsi ad eos nunquam notitia pervenisset E. g. ad virginem devotionis causa domi inclusam, aut perpetuè incarceratam, aut incolam proximè longè abiturum, est communis cum Molin. Disp. 32. num. 2. contra Sylv. &c. quia expedit bono communi ejusmodi confusio ad tollendum scandalum, ut si quis coram multis peccet, aut ita incaute se gerat, ut multis ingeneret opinionem sui delicti, vel ut addit Less. c. 11. num. 73. & 75. delinquat in loco publico eo tempore, quo multis innotescere potest, talis enim voluntate suâ amittit jus ad famam. Ex hoc fit argumentum etiam licitum esse delictum sic notorium notorietate absolutâ facti in hoc loco narrari posse etiam in locis alijs remotioribus, ad quæ non facile penetraret notitia delicti, quia ignorantia præcisè delicti quoad personas id ignorantes hujus aut alterius loci per accidens se habet ad licentiam id vulgandi, ergo si licita est vulgatio in loco commissi delicti etiam erit licita in loco non commissi, ad quem non facile pertingeret: idque confirmatur, quod etiam per Adversarios, si quis ex tali loco foret advena ad delicti locum, in eo fas est revelare illi, ergo etiam fas est ei remanenti in suo loco perscribere, Lugo à. n. 80.

Less. n. 75. contra Molin. Disp. 33. n. 1. Amic. n. 56. damnantes injuriam. Vide Lugo à n. 83. solventem contraria adversus hanc postremam doctrinam argumenta, cum quo nota multum interesse, an impotentia notitia in alijs locis de crimine hic patrato perveniat ex hoc, quod res hic patrata sciatur à paucis, vel verò quod sciatur quidem à multis, sed remoti valdè ab hoc loco impediuntur à notitia: hæc enim impotentia posterior illis in locis per accidens occultum facit delictum hic patratum, prior verò facit rem per se occultam, & idcirco illicite revelabilem, opponitur enim absolutæ publicitati.

Amplia Responsum datum de absoluta publicitate ad casum, quo crimen verum per injuriam est factum publicum Less. n. 77. Lugo num. 65. contra Molin. Disp. 32. n. 3. Amic. n. 57. quia totum jus proximi ad famam fundatur, vel in eo quod careat delicto, aut commissum sit occultum, hic non est occultum, ergo est jus amissum non per injuriam, sed propter crimen verum per injuriam publicatum.

Dices: ergo si quis falso infamis sit factus de crimine, etiam licebit post hanc falsi criminis publicitatem ulterius de eo loqui coram ignorantibus, aut id scientibus. Respondeo nego illatum: nempe fas esse loqui coram ignaro falsitatis, quia debetur vera fama falsè infamato, retinetque ad eam jus, quod graviter læderet scienter se conformans injustæ aliorum propalationi, quam confirmaret, Lugo num. 64. Hanc doctrinam sequitur Haunold. n. 545. si quis diceret aliunde sibi constare de veritate delicti (calem enim condemnat peccati mortalis, quia novus infamator, quantum est in se impediret

famæ

S s 3

famæ restitutionem, quam recuperandi spes esset, si falsitas famæ aliunde innotesceret) secus si præcisè diceret se habere ex communi fama, quod verum esset, neque effectivè plus noceret, quam quisque alius falsitatis ignarus. Distinctio hæc non caret probabilitate.

Dices secundò nefas est hoc tempore refricare memoriam delicti de præterito publici, at nunc oblitterati, ergo etiam nefas est delictum hic publicum referre alibi, quo ejus notitia non pertinet; quia sicut hoc tempore retinet jus ad famam, quia perinde se habet, ac si nunquam fuisset amissum, ita in alio remoto loco de eo fama est in statu pari, illi, si nullibi deliquisset. Antecedens spectatâ Justitiâ secus spectata charitate negat Lessius *num. 82.* Mendo *in Epitom. Verb. honor. n. 12.* At Lugo *num. 8.* Fagundez *Lib. 8. ad octavum Decalogi præceptum c. 4. num. 4. & 5.* Molin. *Disput. 33. num. 2.* asserunt etiam esse contra Justitiam. Respondeo primò nego antecedens de obligatione Justitiæ nisi redundet refricatio delicti præteriti in jacturam famæ præsentis, ita Tamb. *L. 9. Decal. c. 3. §. 2. n. 18.* quia jus in famam præsentem non efficit non fuisse malum de præterito, ergo non reducit jus amissum ad famam præteritam, ergo refricatio præcisè hujus non est contra jus amissum, nec contra jus præsens, nisi fama præsens imminuatur prout facile contingit; redditur enim facillimè suspectus; aut si exinde impeditur ab aliquo bono consequendo vel removeatur ab officio. De cætero negatur Adversarijs, quod per oblitterationem ex temporis diuturnitate, vitamque præsentem olim infamatus perin-

de se nunc habeat, uti fuerat ante infamationem præteritam.

Respondeo secundò esse contra charitatem oblitteratam infamiam refricare sine causa justa (hæc excusat historicos scribentes oblitterata scelera olim publica per illationem nonam) quia bonam existimationem etiam de vita præterita nunc habet apud ignorantes, ergo ejus ablatio sine justa causa est graviter contra charitatem.

Ad plenam præsentis Undecimæ illationis notitiam superest decidere, quot personis debeat delictum innotuisse, ut dicatur publicum? Respondeo certiorum regulam dari non posse eâ, quam viri prudentis arbitrium definit spectatis circumstantijs delicti commissi, videlicet loci, temporis, & numero personarum plerium, & pauciorum per plures, paucioresvè domos sparsarum notitia criminis, earumque conditione, nempe harum fragilitate, ut moraliter sit impossibile cohibere, ne ad alios ejusdem loci incolas notitia perveniat, ita Laym. *n. 8.* Haunold. *n. 544.* Tamb. *n. 10.* quia aliz observationes, quas adducunt Lugo *num. 70.* cit. Haunold. Tambur. & communiter alij ex Molin. *Disput. 31.* Difficiliter ob earum multitudinem sunt practicabiles.

317. Infero duodecimo Auditor detractoris peccat mortaliter contra charitatem primò sibi complacendo in detractione mortali; gaudet enim de malo gravi proximi. Secundò non impediendo detractionem concurrentibus his tribus, nempe quod detraçtio sit mortalis, speciem impediendi, possitque sine gravi suo incommodo impedire. Unde Molin. *Disp.*

Disput. 35. num. 3. S. Thom. quest. 73. Art. 4. Lugo num. 120. raram esse obligationem sub mortali impediendi inter aequales, rarissimam esse in inferiore respectu superioris agnoscunt. Primò quia auditor communiter nescit, an ea res sit jam publica. Secundò, quia si alij sint presentes sæpè melius consulitur infamato, nam ex subita interruptione possent quid gravius suspicari, quam sit res narrata. Tertiò quia sæpè detractor exacerbatus correctione insurgit gravior ad detrahendum. Quartò quia sæpè alter habet causam justam propalandi, aut id, quod dicitur, facilè potest reparari postea monstrando ejus falsitatem. Addit Lugo n. 129. in fin. pro scrupulosis eos rarissimè obligari corrigere etiam in circumstantijs, in quibus alij obligarentur, quia cum scrupulosi existimentur, facilius despiciuntur, & ideo cessat spes emendationis.

At si Auditor non habet se mere passive, sed est concursa detractionis ad hanc excitando, imperando, minando, blandiendo, consulendo, sciscitando, (nisi prudenter putetur non fore mortalis, aut nullum, aut exiguum damnum infamatus incurret apud curiosum sciscitatore, Laym. n. 14. probabiliter à mortali excusari putat) peccat mortaliter ex genere suo contra Justitiam, & quidem gravior ipso detractore; hic enim peccat solum detrahendo, ille verò etiam scandalizando. Unde inducens tenetur ad restitutionem (nisi aliunde certo detra-xisset secluso consilio, &c. tunc enim non esset efficax causa infamiae, nisi induxisset imperativè: quia licet sine mandato esset detraçtio, hic & nunc tamen detrahit etiam ut instrumentum mandau-

tis, si operatur in virtute mandantis Amic. num. 68.) nisi brevi fuisset aliunde publicandum justè, quo casu etiam non peccaret mortaliter, si haberet certitudinem publicationis futuræ Amic. n. 66. qui rectè subjicit n. 72. quod etiam continuans detractionem ab alio sponte inceptam manifestando nova peccata debeat restituere, secùs eadem narrando confirmans, nisi confirmatio antea dubia reddat certa.

Porro mandans tenetur Principalius ad restitutionem læsæ famæ, quam mandatarius; è contra detrahens ex consilio alterius (principalius adstringitur, consulens verò in defectum principalis.

Quando audiens est superior. Præ-latus detrahentis, tunc ex officio, consequenter ex Justitia debet impedire detractionem contra suum subditum, consequenter in defectu Principalis, seu detrahentis restituere, at si infametur non subditus, videtur probabilius ex Justitia non obligari, quia officium non obligat ad procurandum bonum non subditorum, Lugo num. 134. Molin. Disput. 34. n. 5. tom. 4. contra Less. c. 21. dub. 23. n. 122. nisi infamatus externus imploraret officium, tunc enim est Justitia assistendum ei esset, cit. Lugo.

Dixi Superior Præ-latus, quia Superior sæcularis E. g. Urbis gubernator non impediens detrahentem etiam subdito, verum hujus occultum crimen prodendo, non peccat contra Justitiam; eo quod ejusmodi delicta non soleant deferri ad ejusmodi forum, nec puniri, sed delatus detractor cogitur solum probare, vel retractare, nisi si crimen grave falsum Lugo 132.

§. II.

*An & quando secreti delicti revelatio caret vitio
Detractionis.*

318. **S**ecretum est Sacramentale in foro conscientie commissum, vel naturale hoc est duplex; nempe vel commissum, id est, ex peculiari commissione delinquentis, aut alterius concreditorum, vel promissum, ut si quis aliunde occulti criminis notitiam licite comparer, postea promittat se alijs non revelaturum. Præter commissum & promissum est aliud, cujus cognitio est injustè comparata E. g. litterarum rptione. De Sacramentali est certum, quod in nullo eventu probabili possit licite detegi. Secretum commissum est, vel explicitum, ut dum quis pandit crimen eo pacto, ut nulli prodatur; vel est tacitum, quando scilicet ex circumstantijs constat rem tibi sub secreto committi, & te illam sic accipere, qualiter ad secretum obligantur Medici, Advocati, Chirurghi, Obstetrices, Theologi, Consulti.

Certum est, quod utroque modo commissum obliget ex Justitia, ne reveletur, intervenit enim pactum utrinque onerosum, nempe quod committens ex sua parte concredat, alter verò quod concreditorum apud se servabit; Quare hic tenetur ex Justitia tacere, postquam alter concredidit.

Secretum promissum vel est de crimine, quod independentè à secreto non

potes sine injustitia revelare, vel debes, si primum duplicem revelando committis injustitiam; unam rei occultæ detractione, alteram violatæ promissionis, si intendisti expressè te obligare ex Justitia, secus seclusâ hac intentione per *num. 211.* si ante promissionem deberes revelare, ut judici legitime interroganti ex prævia semiplena probatione, aut fama publica E. g. furti, teneris etiam post promissionem fateri, quia tunc negatio est illicita, proinde non poterat cadere sub promissionem aut juramentum: At si furem deprehendisti, potes illum judici prodere ante promissionem, ut si furtum potes probare, & tibi esset præjudiciosum, &c. secus post promissionem, & quidem sub mortali, si jurasti, secluso autem juramento mortalitè, vel venialitè juxta rei qualitatem, & circumstantiam, *Molin. tom. 5. Disputat. 4. num. 4.*

Ex his patet, quod secretum commissum gravius obliget, quam promissum, proinde ob leviores causas possit rumpi quam commissum: hoc enim obligat etiam in casibus, in quibus aliàs revelare poteras, aut debebas: sic non potes revelare superiori tibi præcipienti, aut judici legitime quærenti, neuter siquidem potest præcipere, nisi scientia sit legitime

gitime communicabilis, notitia autem comparata per commissionem non est licite communicabilis, sed conscius perinde se habere debet, ac si nesciret: est enim communicata illi notitia sic restricta & sigillata, nisi committens secretum injuste vexet Rempublicam aut innocentem, nec vult ab injuria desistere, tunc enim potest revelari, etsi fuisset data fides silentij sub obligatione mortis subeundæ; nam promissio talis non complectitur casum, quo vis vi repellenda est, Lugo à *num. 141.* Molin. *Disp. 5. n. 6.* uti nec si ipse committens à sua nequitia nequit erui, nisi prodatur, ut si velit desistere à matrimonio cum occulto impedimento Molin. *n. 7.* Laym. citandus *n. 2.* complecteretur autem si malitia committentis non intervenit, quia materia promissa est licita etiam pro tali eventu, Lugo *n. 115.* Molin. *Disput. 37. num. 10.* Laym. *L. 3. tract. 3. p. 2. cap. 5. num. 4.* (limitans ut) non obligetur subire mortem, nisi agatur de maximo committentis secretum damno, extra hoc enim certo potius committens ex lege charitatis debet subire damnum, quam innocens vitæ discrimen) unde si sine committentis malitia homicidium imputetur innocenti, non potes revelare, sed potius finire innocentem condemnati, cum tunc nec ipse committens teneatur se prodere, nisi posset citra grave suum incommodum E. g. fugere, tunc enim si præmonitus nollet fugere, potest & debet prodi Molin. *n. 6.* Laym. *n. 2.*

Secretum commissum, & à fortiori promissum non obligat in casu, quo tormenta gravia, mutilatio, aut mors sua, vel tuorum vitanda, licet vita com-

mittentis periclitaretur ex revelatione, quia nemo cum tanto suo aut suorum onere acceptat à privata persona, talia secreta secundum ordinatam charitatem, Molin. *Disput. 37. num. 10.* an, si, ut paulo ante dictum est sub tanto sui onere acceptasset, aut secretum vi, aut fraude extorsisset, sic enim tenetur etiam cum aliquo suo majori damno servare secretum, unde si ex revelatione hujus mors imminet infamati, potius debet eam subire, quam revelare injuste ejus notitiam comparans Molin. *n. 13.* Amicus *n. 107.* contra Petrum Navar. & Less. quia est injuriosus non solum in secreti extorsione, sed etiam in ejus usu, cum si posset restitui, deberet restituere, proinde cum nequeat extortum reddere, debet saltem eo non uti: sicut furans equum non solum est injustus furando, sed etiam non restituendo equum, teneturque illum restituere in pari Domini necessitate, sicut in tantum non posset furari, aut vi rapere.

319. Quæres hic occasionaliter, quanta sit culpa secreta litterarum cognoscere ex earum apertione, vel lectione? Respondeo cum Molin. *tom. 5. Disp. 36.* Sanch. *L. 6. Consil. cap. 6. dub. 3.* Lugo *Disp. 14. à n. 148.* nisi sit consensus saltem præsumptus, aut prudenter quis judicet non contineri in litteris secretum grave, peccat mortaliter, sive aperiat sigillatas, sive non sigillatas, repositas tamen in loco, in quo secreta servari solent, nempe in loco clauso, sed casu relicto aperto (nisi sis in sententia docentium non esse mortale uni, aut alteri viro prudenti revelare secretum) etiam dum dubitat, an res magni momenti contineatur propter periculum, cui se

T t

expo-

exponit, teneturque ad restitutionem damni secuti totius gravis, nisi culpa fuerit levis, aut si grave damnum prudenter credebatur non futurum, ita Molin. loco cit. (quidquid contradicat Lugo n. 149.) quia tunc damnum est involuntarium. Tempore belli licite intercipiuntur litteræ hostis, & leguntur, uti etiam illæ, ex quibus prudenter times proprium, aut alienum injustum damnum; pariter Ministris publicis fas est referare litteras dum expedire bono communi judicant, cavendum tamen, ne publicent alia eo non facientia.

Quomodo se gerere debeat Superior in secreto delicto subditi ad se delato constitutum est de Religiosis Societatis in Congreg. VII, Decret. 33, de quo fuse Lugo à num. 117. & à n. 145. Palao 1. p. tractat. 6. Disput. 3. pag. 11. Haunold, tract. 2. n. 550. Ad quoddam Decalogi præceptum spectet secreti observatio Disputat loco cit., Lugo 143.

Resp. Deturque ad illud præceptum spectare, ad quod spectat bonum, quod aufertur violando secretum; quando enim secreti violatio redundat in damnum vitæ, membrorum sanitatis, observatio secreti pertinet ad bona corporis, si redundet in damnum famæ, aut honoris, observatio spectat ad bonum famæ, &c. Si redundet in damnum bonorum fortunæ, observatio secreti spectat ad bona fortunæ, proinde ad præceptum prohibens horum violationem. Demum si violans secretum nocet bonis animæ, ut si circa hæc sequitur aliquod damnum E. g. peccatum, ignorantia, læsio usûs rationis, aut quid simile, observatio spectat ad bonum animæ. Et cum secretum E. g. scientia, quam quis possidet alijs ignorantibus sit quoddam bonum ab anima possessum, ejus violatio censetur esse quasi furtum spirituale circa bona animæ.



§. III.

Enodatio plurium quæstionum de fama & honore & bonis fortunæ ex damnatis propositionibus.

320. **Q**uæres primò an Religiosus, aut clericus calumniatorem gravia crimina de se vel sua Religione spargere minantem, jamque paratum publicè, & coram viris gravissimis impingere licitè occidat, si alius modus impediendi non superest? Ratio affir-

mandi, licita est occisio injusti invaloris bonorum magni pretij, dum aliter conservari possunt, ergo à fortiori observandum honorem & famam utpote Ordinis altioris bonis fortunæ. Respondeo negativè; affirmativam enim Alexander VII. in propositione 17. damnat, cui

eni est affinis immediate sequens 18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare: Damnatæ Alexandrinæ decimæ septimæ concordat damnata ab Innocentio XI. trigesima: fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fustis percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugit.

Ratio omnium est, quod omnes dictæ propositiones sint periculosissimæ communique bono perniciosæ utpote laxantes licentiam facile tollendi homines ex vita sub prætextu imminentium gravium calumniarum, falsæ accusationis aut attestacionis, aut ferendæ iniquæ sententiæ, & cum quisque se facile pro viro honorato reputer, datur sic plerisque licentia occidendi alterum quasi nitentem calumniari cum percussione, quod aliâ viâ calumnia sit inevitabilis cum maximo reipublicæ detrimento, ut notavit Laym. L. 3. tract. 3. pag. 3. c. 5. n. 2. Amicus hic Disp. 36. n. 118. nunquam docuit oppositum, sed expressè protestatur se loqui solùm disputandi gratia maturo iudicio relicto penes prudentem lectorem vide num. 27. præsentis tractatus.

Confirmatur ex Didaco Hurtado Theol. Reform. ad proposit. Innocentij XI. Dissert. 19. à n. 7. licet cuivis fas sit vim vi repellere servata debita moderatione, secus ulli nullâ vi intercedente, idque patet à posteriori, quod in omni benè ordinata republica plectere-

tur ut homicida, si occideret alterum nullam vim exercentem sub prætextu calumniæ imminentis declinandæ, atque in calumniis injustis regulariter nulla vis inferitur: vis enim dicit actionem fieri sciente, ac renitente altero, proinde contrariè invito: calumnia autem sæpe clandestine spargitur: est enim nihil aliud, quam impostura falsi criminis, seu impostio & obiectio, ergo calumnia est separabilis à violentia, sed & ab hac separatam non fas est præoccupare occisione calumniatoris, imò nec minori alia violentiâ, calumnia enim non vi, aut cædibus, sed veritatis manifestatione propulsatur.

Ratio affirmandi allata in oppositum est infirma, quod magni pretij bona facilè nequeant recuperari ab invasore, & nisi fas esset occidere hunc servato moderamine nequissimi latrones, & fures foverentur.

Similiter vita semel amissa, & pudicitia virginalis est irreparabile damnum multo gravius bonis fortunæ, ergo si licita est occisio pro defensione bonorum magni pretij, à fortiori occiditur justè aggressor vitæ, & nitens stuprare Virginem, dum aliter nequit violentiam actualem repellere, (ut si clamor sit inutilis, aut ignominiosus) etsi exinde sit æternum damnandus, id suæ malitiæ imputet, non necessitati gravi, cum nulla labore, Molin. tom. 4. Disp. 17. num. 10. Sylvest. V. Homicid. 1. q. 5. Idem dic de eo, qui violenter vult cum viro sodomiam patrare Cardenas Dissert. 21. n. 47.

321. Dixi pro defensione magni pretij: quia secluso magno pretio occisio foret homicidium: unde Innocentius XI. damnat propositionem trigessimam

mam primam: Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei, Ratio damnationis est, quod aureus unus regulariter non sit necessarius pro conservatione vitæ suæ, aut suorum, aut status justè acquisiti. Immeritò autem propositionem damnatam Lumbier & Filguera appingunt Molinæ tom. 4. Disp. 16. num. 7. sic loquenti: *Quando autem quis injustè aggredetur usurpare rem etiam valoris unius aurei, vel minoris adhuc valoris resistente Domino, aut Custode illius, certe neque ad panam neque ad culpam audeam condemnare, qui illam defendendo interficeret cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum aggressorem.* Immeritò inquam illi attribuitur, non enim indiscriminatim loquitur de fure, sed de raptore, seu violento occupatore: nec dixit regulariter, sed non audeam, quod verbum notat suspensionem, & dubietatem, ac insuper requirit moderamen inculpatæ tutelæ, ubi plures involuntur conditiones difficulter concurrentes, nec attendit ad valorem rei defensæ, an sit aureus aut minor sed potius ad contemptum & violentiam justè defendenti illatam, hæc autem magna possunt esse etiam pro re nimis parva: ita vindicat Molinam citatus Hurtado num. 49. et in 48. non acquiescat propositioni Molinæ absque majore explicatione, uti nec ego.

Si regulariter est illicita occisio ad defensionem actû possessorum, multo minus ad defensionem non possessorum, sed speratorum, aut ad quæ habemus jus ad rem: quare scandalosa est propositio trigesima secunda inter 65. Innocentianas: *non solùm licitum est defendere*

defensione occisiva, quæ actû possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. Uti etiam trigesima tertia nihil priori addens; nisi varia exempla juris inchoati, quæ ita sonat: *licitum est tam heredi, quam legatario contra injustè impediens, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut, & jus habenti in Cathedralam vel præbendam contra eorum possessionem injustè impediens.* Prior propositio omisâ defensione honorum pleno jure ad nos spectantium duas continet partes; unam de sola spe honorum omni speciali jure destituta; alteram innitentem alicui juri præhabito, quod exemplificat trigesima tertia.

Ratio damnationis est, quod patet aditum frequentibus homicidijs propter jura ad rem, & spes plerumque incertas quas, & earum frustrationes insanna lucri cupiditas certas apparere facit: neque propositio distinguit, an injustitia sit clandestina, proinde non in violenta, an vis gravis, aut levis, an res defendenda sit magni vel parvi momenti, quæ omnia & plura alia explicanda forent, ut decerni possit, an quanta defensio sit licita, ut arguit citatus Hurtadus à n. 55.

Dictas duas propositiones Filguera, & aliqui alij adscribunt Patri Amico his Disp. 36. n. 131. Sed falsitas est pathetica: quia Amicus in prima meminit defensionis siue *lij occisiva*, & in secunda adverbium *taliter* etiam omisit, ac in antecedentibus consequentibusque corollaris, quando defendit licere occisionem clare expressit: hic verò penitus siluit atque insuper n. 126. tres requirit

Con-

Conditiones, sine quibus occisio est illicita. Unde corollarium tertium continens præfatas duas propositiones intelligendum non est sine iisdem, earum nullam postulant damnata Thefes.

322. Superest, ut refutetur altera pars propositionis trigessimæ assertentis fas esse eidem viro honorato occidere eum, qui alapam infligit, aut fustè percutit, postea fugit, quam assertionem multi tenuerunt cum Navar. *Manual.* s. 15. n. 3. illique speculativam probabilitatem detulerunt Less. cit. Laym. Filliuc. Reginald. Dicast. at practicam vocant in dubium, & merito practicè esse improbabilem, est exinde, quod vix humanitus sit possibile, ut contra illum, qui destitit à violentia, & ne offensam prosequatur, fugit, præfata assertio practicetur absque scandalo, excessu, aut vindicta, quid enim aliud est, talem percussorem occidere, mutilare & repercutere in illis circumstantijs, quam se vindicare seu reddere malum pro malo, idque putare honorificum depravata mundi imaginatione adversus legem Evangelicam: hoc enim non est vim vi repellere, cum fugiens nullam vim inferat, sed ab illata destitit, & injuriam diminuit ostendendo mecum, nec repercussione &c. restituitur honor, hic namque restituitur retractione injuriæ, veniæ petitione, aliisque actibus honorificis, hoc non fit fugâ, nec actibus assertis in dictis propositionibus, sed intendit honorari ob vindictam propriâ autoritate sumptam, si verò esset honorificum reddere malum pro malo, majus pro minore, & quasi Deus non servasset suis Ministris ultionem Deut. 32. v. 35. *mea est ultio, & ego retribuam.* & Rom. 12. v. 19. *scrip-*

tum est, mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus: hæc non est Consilij, sed præcepti constat ex Ecclesiastici C. 28. *qui vindicari vult à Domino, inveniet vindictam.* Et certè, si honor refarciri posset occisione dehonorantis, tunc maxime procederet, dum Maritus reperit adulterum in flagranti cum uxore; hoc autem damnatur ab Alexandro VII. *proposition. 19.* ita sonante: *non peccat Maritus occidens propriâ autoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Vide Molin. tom. 4. *Disp. 17. n. 8.* probantem esse puram vindictam.

Non est paritas à latrone cum rebus meis magni pretij fugiente, quem possum trajicere, si aliter eas non est spes, recuperandi, nam latro secum defert res meas, secus percussor meum honorem, sed hic est similis comburenti meam domum, quam non defert secum, sed vacuus recedit, hunc autem incontinenti posse occidi nec divina, nec naturalis lex finit, esto damnificatio aliter sit irreparabilis. Deinde etiam assumptum ut falsum negat Covar. Cum non paucis apud Dian. p. 8. *trdct. 7. Res. 47.*

Dices: vilis, & infamis habetur, qui receptâ alapâ non repercutit etiam usque ad occisionem, si alia via recuperationis desit. Respondeo sciscitando, quinam ita censeant? certè non prudentes, & legis Christianæ sectatores, sed terrena sapientes, quorum judicia non sunt tanti faciènda, ut proximus sit occidendus, ne honori nostro adversetur: *hæc est sapientia Carnis inimica DEO* ut loquitur, Apostolus Rom. 8. v. 7. *revera autem ratio proxima, ob quam percussus apud prudentes hujus sæculi cense-*

tur infamis, ea est, quod se non vindicet, non autem quia reputatur pavidus, cum fugiens potius ostendat ipsum esse timendum, & licet esset timidus, non tamen timor est tanta macula: ut debeat repelli tantâ vindictâ. Igitur contemptibilitas nata ex omissa vindictâ, non est revera vilitas, & infamia, sed falsa procedens à datis in reprobum sensum, uti exprobrat Isaias C. 5. v. 20. *dicunt malum bonum, & bonum malum ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

Observat Hurt. n. 37. in propositione relata, trigesima non damnari opinionem affirmantium licere occidere contiuantem ictus cum arundine, vel repetentem alapas, vel eodem in loco persistentem defensurum, id quod patrauerat, talis enim vim injustum continuat, nec ante recessam censetur consummata injuria, quapropter repercussio non transit in aggressionem, uti fit, dum percussor fugit, sed est iusta defensio, dummodo non sit major, quam postulet necessitas, foret autem major, si percussus posset percussorem cogere ad fugam, tunc enim illicitè occideret, aut mutilaret. Quod dictum est de contiuante percutere, est par ratio de eo qui per barbam alterum trahit injuriose, Moya in *selectis p. 2. tract. 6. Disp. 3. q. 3. n. 13.*

Ex his etiam resolvitur, an ad ignominiam impediendam, aut ad acceptam vindicandam, licitè possit provocare ad duellum, aut provocatus comparere? Responsio negativa eruitur ex dictis, quia apud prudentes non incurrit ullam infamiam, sed laudem ex observantia legis naturalis in 5. Decal. præ-

cepto: nullus enim potest propriâ auctoritate alterum, aut se occidere, aut periculo vitæ exponere, nisi necessaria sit sui, aut innocentis defensio. Unde Alexander VII. proscripsit hanc propositionem secundam: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Nota quam incurrit apud homines mundanos, est nota laude digna apud sapientes æstimatores, & licet re ipsa foret infamia, cum tamen sit transitoria, est postponenda salutis animæ, cujus amittendæ periculo se evidenter exponit, ob hæc, & gravissima alia damna ex duellis consequi solita Henricus IV. Rex Galliæ decrevit, quod tam provocans, quam acceptans duellum sit habendus pro infami, & modernus Rex Ludovicus XIV. sub confiscatione bonorum omnium prohibuit severissimè ac efficaciter sustulit.

323. Quæres secundò an Matriona aut puella honesta furtivè imprægnata ante factus animationem possit procurare abortum, ut evitet vitæ periculum, vel infamiam sibi, aut familiæ nobili imminentem. Affirmativam probabilem dixit Lezana in *Summa 99. Regular. volum. 2. V. abortus. n. 5.* Trullench. in *Decal. c. 1. dub. 4.* Barbosa in *collectan. ad 5. Decretal. C. si aliquis 5. de Homicid.* hõrum Sententiam reprobat Innocent. XI. proposit 34. *licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Hanc immediate sequitur trigesima quinta docens nullum fœtum, quamdiu est in utero vivere animâ rationali, sed incipere primum, dum

dum pariter, atque adeo in nullo abortu committi homicidium.

Respondeo negativè cum Laym, L. 3. tract. 3. p. 3. c. 4. n. 2. q. 2. dicente nullo sine bono cohonestari posse. Molin. tom. 4. Disput. 27. n. 6. Lugo Disp. 10. n. 131. &c. quia abortus est fœtus jam concepti ex utero violenta abactio, seu ejectio, sed hæc est illicita: seu finis sit præservatio mortis, sive infamiae certò imminentis non procurato abortu, etsi fœtus nondum esset animatus: qui etiam per patronos damnatae Thesii non licebat procurare abortum fœtu animato, ergo nec ante animatum. Consequentia probatur primo ex S. August. L. 1. de nuptijs & concup. c. 15. ubi vocat *crudelem libidinem sterilitatis venena procurare conceptos fœtus, & prolem velle prius interire, quam vivere & si jam vivebat, occidere antequam nascatur.* Secundò quod occisio, aut gravis infamia prægnantis sit aliter inevitabilis, est moraliter impossibile judicium moraliter certum formare, ergo est practicè improbabilis ejusmodi excusatio. Antecedens probatur, quia periculum, dum non est fœtus animatus est valde distans, estque incredibile non superesse modum id declinandi, ipsaque conceptio ante animationem est omnibus incerta, & licet forte contingat, facile confundi solet cum alijs infirmitatibus, adeò ut nec ipsi Medici valeant discernere. Partus quoque multis medijs potest occultari illis, à quibus timetur, & vix nunquam desunt fideles Amicæ, aut Matres, quæ secreto auxiliantur in re jam inevitabili. Atqui judicare certo hæc omnia media postea defutura est moraliter impossibile, aut quod pericu-

lum vitæ non posset evitari, quin posset vis vi repelli, aut aliter in tuto collocari.

Tertiò quod praxis opposita libidini frænum laxet, si enim liceret aliquando procurare abortum ex prætenso illo sine, à fortiori liceret impedire conceptionem fœtus procurando sterilitatem, cum non conceptio sit remotior ab hominis generatione, quam conceptio liceret fœminæ omni modo semen jam receptum expellere, ipsi viro extravasare effundere ante consumatum coitum: fœminis conjugatis expertis ordinario partus periculosos, fas foret similia praticare.

Quartò quod procuratio abortus sit intrinsicè mala utpote directè opposita fini primario copulæ, qui est prolis generatio, quam quia impedit, hinc etiam nullo casu secundum omnes est licita directa procuratio pollutionis, sed etiam, & quidem longè propinquius abortus impedit prolis generationem.

324. Objicies primò si Mater cogeretur, ad abortum fœtus inanimari, ut olim in Hispania Judæi cogebant Mauras sibi servientes, licitè Mater expelleret fœtum, cum hic ea moriente nunquam esset animandus, ergo etiam in nostro casu. Confirmatur Less, Molin. Toletus Laym. apud Dian. p. 11. tract. 6. Resol. 50. circa finem contra Sotum Turianum. Gasp. Hurtad. affirmant licere sibi membrum etiam vivum amputare ad imperium alterius, quando, nisi id faceret, occideret, ergo etiam, &c. fœtus enim ante animationem est pars viscerum, si autem hoc licet ad declinandam mortem, etiam fas erit ad præcavendam infamiam, hæc enim rectè morti

morti æquiparatur: unde in jure civili *L. Iusta causa 9. ff. de manumissis* vinctæ æquiparantur periculum vitæ, & periculum infamiæ. Respondeo nego antecedens, ad confirmationem Respondeo primò instando, ergo etiam fas est se polluere ad evitandam mortem violentam, quia semen nondum decisum est pars corporis. Secundò retorquendo, ergo etiam licebit ex illo antecedente concludere, quod licita sit foetus animati abactio. Tertiò nego consequentiam, quia membrum corporis est principaliter ordinatum in bonum, & conservationem totius, ut igitur hoc servetur, abscissio est licita; foetus autem, licet detur esse partem Matris, non tamen est pars talis, quæ principaliter sit ordinata ad conservandam Matrem, sed à longè nobiliorem alium, nempe ad propagationem speciei: unde non servit Matri, sed e contra dum præstat ei alimenta cum suo incommodo, neque eo nascente sit manca. Accedit, quod semen jam decisum nec sit pars Matris, nec Patris, longè minus foetus jam conceptus, sed contineatur intra uterum, unde fugit alimentum absque ulla physica unione, quæ tribueret illi rationem membri aliàs ut arguit D. Augustinus *L. 6. contra Julian. cap. 14.* si infans esset pars Matris, hæc Baptizata, ille esset Baptizatus, quin posset Baptizari postea natus.

Ex his colligitur, quod et si infamia æquiparetur morti, nihil conficiat argumentum, cum non liceat ad vitandam mortem causare abortum. De cetero falsa est æquiparatio, ut ostendit, & argumenta contraria diluit Raynaudus *tom. 14. tr. de ortu infantium §. 6. c. 10.*

à num. 43. fol. 306. probatque honorem, famam, laudem, &c. esse inferiora non tantum vitæ corporis, sed etiam alijs hujus bonis, ut lumine oculorum, sanitate. Quare Lessius *L. 2. hic c. 11. n. 88.* dixit nemo prudenter pro quantavis magna fama eligeret mori. Unde vulgi error est pro honore moriendum esse, ut scribit Laym. *c. 3. n. 3.* Gobæ *Theol. Juridic. c. 18. n. 8.*

325. Objicies secundò foetus nondum animati abortus licita est procuratio ad servandum ex morbo Matris vitam, aliàs Medicorum Judicio morituræ; minus enim malum est impedire animationem foetus, quam hunc una cum Matre extinguere, Sanch. *L. 9. de matrim. Disput. 20. n. 9.* Laym. & alij contra alios apud Dian. *p. 5. tract. 14. Res. 90.*

Tertio matrimonium, & hujus usus naturam suam per se primo ordinatur ad speciei propagationem, & ideo debitum illius per se loquendo nequit negari citra peccatum mortale; at tamen licite negatur, quoties prudenter timeatur foetivam ex conceptione morituram, estque probabile illam concepturam, *Dicast. de Sacram. tom. 3. tract. 10. Disput. 9. n. 212.* Cajet. *in sum. V. matrimonium. sub. tit. de usu matrimonii. Conjugij vers. primus, §. 6.* negans debiti obligationem urgere quoties sine periculo vitæ, aut ægritudinis reddi non valet. Estque hæc communis sententia approbata à Sanch. *Disput. 24. n. 2 & 12.* etiam in casu, quo ex negatione debiti alteri immineret incontinentiæ periculum, non enim se obligat simpliciter ad reddendum debitum, sed salvam personam incolumitate.

Respon-

Respondeo primò, ad secundam longè probabilius negari antecedens cum Valq. Less, Amic. Navar. Moya Filliuc. de directa procuratione abortus, hæc enim æquiparatur pollutioni, cujus procuratio directa etiam ad morbum depellendum est prohibita *Resp.* secundò transeat antecedens nego consequentiam, quia in antecedente urget morbus præfens, cujus expulsio procuratur, dum nullum aliud medium superest: at in abortus procuratione malum non est præfens, cum fœmina de præfenti bene valeat, malumque à longe imminens potest multipliciter occultari.

Respondeo ad tertium concessio antecedente negando consequentiam, plures enim causæ insufficientes ad impediendam generationem post copulam, vel ad abortum, sufficientes sunt ad non reddendum debitum, obligatio enim hujus oritur ex contractu, proinde tot admittit dilationes, excusationesque quot restitutio, aut cæterorum debitorum solutio; at, ne directè impediatur conceptio, vel animatio, ex natura rei obligatio consurgit.

Quod si ejusmodi mulier ob partus periculosos excusata ab obligatione reddendi debitum defuncto Marito convollet ad secundas nuptias, inscio secundo Marito præfatae difficultatis, censeturne renuntiare suo juri, proinde reddere debitum cum vitæ futuro periculo teneatur. Respondeo cum Didac. Hurtad. in *Theol. Refor. Dissert. 20, n. 43.* affirmat, aliàs magna foret in contractu onerum inæqualitas.

Item conjux sanus ignarus, quod alter laboret leprâ contagiosâ, non tenetur huic concedere usum Corporis,

esto verius sit posse reddere, ut ex communi tradit Sanch. *L. 2, Matrim. D. 24. à n. 21.*

326. Objicies quartò fœmina violenter oppressa potest in continenti seminisjam recepti ejectionem procurare, ne sequatur conceptio, ergo similiter excusabit metus mortis, aut infamiae. Antecedens est Sanch. *L. 2. de Matrim. Disp. 22. n. 17.* continuatur enim vis retento semine, unde sicut se agitare potest, ut non recipiat, sed extra vas effundatur, ita videtur fas esse receptum ejicere.

Respondeo nego antecedens consummatâ enim copulâ opprimens se habet ut alapam infligens, & post hanc recedens, cujus repercussio non est justa sui defensio, sed vindicta *per num. 322.* unde ad probationem negatur vim continuari, sicut continuatur, antequam copula sit consummata, ante cujus consummationem licitum est oppressâ omni modo contraniti etiam cum occasione oppressoris, secus post consummationem, etsi fiat in continenti, nam per ejectionem recepti seminis non potest recuperari virginitas, nec honor ejus, nec est medium licitum se præservandi à damnis graviditatis, partus; & infamiae securaræ, aliàs etiam concessum esset id ipsum facere eo jam coagulato, proinde abortum facere, quod negat etiam Sanch.

Nec juvat cum eodem dicere, quod tempore coagulationis semen pacificè possideat, hoc enim difficulter declarari potest, attentâ enim Origine semen nunquam potest dici possessor pacificus, sed violenter intrusus; nec fit pacificus possessor post recessum viri, quia hic recessus fit mox mox, ac copula est consum-

U u

mata

mata, ergo mox pacificè possidet, ergo etiam in continenti nequit ejicere.

Confirmatur contra hominem nequit etiam in continenti ejicere foemina ex metu gravi consentiens viro, aut primo bimestri deliberans de ingressu Religionis, si per vim cognoscatur à Marito, atqui si sententia Sanch. valeret, difficulter ostendi posset, cur etiam in hoc casu non esset licita ejectio, quod enim consenserit, non probat eam amisisse jus servandi se indemnem sicut ei, qui per metum concessit latroni auferre sibi equum, non auferatur jus eundem recuperandi persequendo eum in continenti, postquam cepit fugere. Quod oppressa post ratum Matrimonium patiaturo multo leviozem injuriam sine infamia, non satisfacit; nam auferatur illi jus valde estimabile eligendi sponsum infinite nobiliorem, impediturque status longè altior, & securior.

327. Objicies quintò abortio foetus inanimati non est tanti momenti, ut non liceat exigere aut reddere debitum cum periculo abigendi foetum inanimatum, ita Martin à S. Joseph. in *Monitor. Confessor tom. 1. L. 1. tract. 50. n. 2.* quia ob rem parvi momenti non est rationale conjuges privare jure suo, ergo etiam non est saltem mortale facere abortum foetus inanimis ut vitam aut famam conservet. Respondeo nego antecedens cum Reliquis omnibus Theologis apud & cum Sanch. *L. 9. Disp. 22. n. 1.* damnantibus peccati mortalis conjuges Matrimonio utentes cum periculo abortus quin distinguant inter foetum animatum, ac inanimatum, unde male allegatur Sanch. à præfato Martin. pro sua sententia, cum is dicat manifestam

esse culpam mortalem, certam verò vocet Gasp. Hurtad. quem etiam pro se citat cit. Doctor, quando autem excusant à lethali loquantur vel de periculo levi, seu non satis fundato, quale timetur ex superveniente coitu, vel de abortu improprie tali, nempe de dissipatione materiae, ex qua unita, & coagulata foetus conciperetur, nisi accessisset novus coitus, qui impedit conceptionem, & prægnantiam, quæ tunc erat via, nec spectat ad abortum per n. 323.

Nec ratio Martini à S. Joseph. est vera, cum falsissimum sit abortum foetus inanimati esse parvi momenti, tum quia ex violenta abortione sæpe prægnantes incurrunt periculum propriæ sanitatis, uti testantur Medici apud cit. Didac. Hurt. n. 9. & respectu foetus, etsi non sit homicidium, est tamen adinstar, proinde respectu parentum adinstar parricidij, dum illi causant, quapropter *Cap. si aliquis 5. de homicid.* dicitur, ut homicida tenetur, qui causa explenda libidinis, &c. ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere. Ex his palam est periculum istud non esse momenti exigui, sed præponderat juri exigendi debitum adeò, ut hoc non roboretur, etsi periculum incontinentiæ immineat huic enim alijs remedijs obviari potest.

De cætero etsi pejus sit ex vi coitus novi impedire conceptionem jamjam causis suis debitam, aut se exponere periculo impediendi, quàm potionibus, nihilominus est, aut nullum, aut leve peccatum exigere debitum in tali statu non propter materiae levitatem, ut di-

cit

cit cit. Martinus, sed quia copula superveniens aut nullum, aut exiguum affert periculum, aut si affert grave, id rarissime accidit, & communiter ignoratur, imò aliquoties evenit superfatatio, & plures concipiuntur. Et si generatio non sequitur alijs causis attribui potest, ita Didac. Hurt. n. 52, subdens non esse injiciendos conjugibus scrupulos, sive ante sive post conceptionem indiscriminatim copulam exercentes communiter sine abortu, non ergo hic probabiliter timetur, nisi fortè sub tempus partus: tunc enim ex nimia, & frequenti ventris concussione id accidit in aliquibus. Vide Laym. L. 3. tract. 3.

p. 3. c. 4. n. 4. Ex quo videtur innuere, quod liceat viro periclitanti de vita propter feminis abundantiam exigere debitum cum periculo abortus, dum alia remedia desunt, idque probat exemplo; quod Laym. adducit de fera invadente Matrem, cui non modo fas est fugere, imò etiam ex præcepto naturali debet, ut fugâ vitam certo periculo expositam liberet, si posset, quamvis cum probabilissimo periculo abortus.

Quanto autem tempore opus sit, ut fœtus jam conceptus sufficienter formatus sit ad recipiendam animam rationalem, non unus est Doctorum sensus: communis enim sententia docet id accidere in masculis circa diem 40; in fœminis circa 80. in dubio autem sexum potius Masculinum præsumi, & hanc esse praxim sacræ Pœnitentiariæ testatur Navarrus Conf. 46. de homicid. num. 2. cui subscribit Dian. p. 7. tract. 5. resol. 6. Alij apud cit. Didac. Hurtad. n. 48. censent animam rationalem non infundi, nisi post tres menses, aut quatuor à die

conceptionis, & interea animari animâ solum sensitivâ: eontra Ferd. de Mina approbatus à Tolet. L. 2. de anima. c. 4. alijsque putat totum hoc opus absolvi intra solos septem dies: alij statuunt pro sexu utroque diem sexagesimum ut terminum peremptorium: unde post bimestre fœtum abigensteneretur de homicidio: Ipse autem Didacus subscribit D. August. in L. 83. questionum q. 56. qui ex præcepta tunc communi Philosophorum sententia docet formari Corpus humanum diebus 45. Hippocrates Medicorum Princeps fœtum Masculum pro infusione animæ formari intra dies triginta, fœmineum intra quadraginta, idque probat, quod purgatio in partu masculi duret ad Summum triginta diebus, in partu fœminæ 42. quam sententiam passim approbant alij Medici. Unde sequitur pro praxi.

Primò talem fœtum ejectum si edat signa vitæ esse conditionate baptizandum. Secundò Procurantem sub id tempus abortum coram DEO esse homicidam, quia probabili periculo se exponit perimendi verum hominem. Tertiò quando culpabiliter quis cooperatur abortui, si post diligens examen factum pro loco, & tempore opportunum, adhuc maneat dubium invincibile, an fœtus fuerit animatus animâ rationali, aut non, censet nullam incurri irregularitatem quia jus irregularitatem pro causantibus abortum statuens nullibi exprimit incurri in mero dubio circa animationem, & ita sentiunt multi, ut Bardi Tamb. &c. unde infert Bardi de consc. Disp. 6. c. 7. §. 6. procurantem abortum die à conceptione 50. non potentem discernere sexum posse se gerere pro non irregulari, cui contradicit Didac. Hurt. n. 63.





ARTICVLVS SEXTVS.

De causis cooperatricibus per se ad iniustitiam contra Iustitiam Commutativam.

328. **C**ooperatores hic illi dicuntur qui tanquam causa per se Physica, aut moralis concurrunt ad alterius damnum contra Iustitiam commutativam: concursus moralis est, vel positivus, vel negativus: prior est positio prohibitæ actionis per se tendentis ad violandum jus proprietatis alterius, quod sex modis contingit: Negativus est ommissio actionis præceptæ, ac ex officio debitæ ad impediendam violationem Iuris proprietatis alterius, hoc autem tripliciter contingit. Sunt igitur universim præter immediatum damni executorem, qui est physica causa iniustitiæ, novem personarum genera hisce binis versiculis comprehensa.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, recursus,

Participans, Mutus, non obstans, non Manifestans.

Nomine *jussionis* intelligitur mandatum etiam non superioris teste Platel. p. 3. n. 644. vel expressum, ut, volo hoc, illudvè damnum à te fieri Petro; vel tacitum, ut si ostendat signa, complac-

tiæ in damnificando, aut displicentiæ in omissione damnificationis.

Consilium sunt preces, exhortatio, instructio, ratio persuasiva, muneris promissio, blanditiæ inductivæ ad alteri nocendum.

Per *Consensum* venit hoc loco, non complacentia in malo alterius (sic enim non influit in id, proinde etiam non fundat restituendi onus) sed approbatio efficacis damni tertio inferendi, ut suffragando electioni indigni, vel consentiendo iniustum malum ab ejus consensu dependens, aut subscribendo iniustæ liti, vel condemnationi.

Palpator hic dicitur, qui, vel adulatoriè, vel laudatione iniqui facti ad id excidat, aut exprobrat ignaviam non audentis, ut si injuriato nobili exaggeret, suam nobilitatem, aut vituperet ejus patientiam, ex quo ille ad vindictam provocetur.

Recursus hic significat illum, qui forem, ejusque furta vel maleficii instrumenta; aliumque malefactorem recipit, vel servat, præbendo ei refugium ad securitatem, vel protegit.

Parti-

Participantis nomine hic venit primo is, qui participat aliquid de furto, aut consumit, quin fuerit ejus causa. Secundò is, qui est particeps actionis causativæ damni, quod dupliciter potest fieri. Primò Physicè per injustam actionem immediatam, ut si exequitur furtum, aut aliud damnum. Secundò Physicè per actionem injustam mediatam videlicet furi scienter præbendo auxilium remote conducens ad damnum, ut furi scalas apponendo, aut tenendo, aut dando illi instrumenta E.g. claves universales, aut defendendo furem, aut furtum distrahendo. Tertio participando moraliter in actione injusta, ut explorando, aut excubando, ut furem moneat.

Per *mutuum* venit hic ille solum, qui tacet, ex officio obligatus impedire

damnum reprehendendo, vel clamando, vel consulendo: *Non obstans* dicitur, qui negligit ferre subsidium ex Justitia debitum damnificato, ut si hunc, aut ejus res non custodit, aut non defendit, aut damnificatorem non repellit.

Non Manifestans est, qui non Manifestat obligatus ex officio prodere, dum posset præcaveri damnum, ne inferatur, vel ut refartiat revelando furtum, aut furem. Ex his Colligitur sex primos cooperandi modos continere causas positive, reliquos tres causas negative, seu omissive influentes in violationem Justitiæ commutativæ. Omnium causarum cooperatio influxus restituendi obligatio inde nata est examinanda.



§. I.

Qualis positiva aut negativa cooperatio necessaria, ut obliget ad restitutionem.

329. **D**ico primò nullus positivè cooperans obligatur ex delicto restituere, nisi sua cooperatio sit deliberata, efficax & injusta, proinde re ipsa damnum proximi sequatur, ita omnes.

Probat, quia si vel unica ex his conditionibus deficit, nulla est radix obligans restituere, si enim deest plena advertentia, damnum non est voluntarium, vel si adest, sed non est efficax (ad

quod requiruntur duo, nempe sequela damni, & hic & nunc ex tali cooperatione) aut etsi efficax sit, non tamen injusta, id est talis, cui rationabiliter resistat damnificatus.

Dico secundò nulla causa positivè cooperans à restitutione excusatur, quod damnum à se nunc illatum certo sciret ab alijs inferendum, etsi ipsi non causaret, Lugo *Disp. 19. à n. 7. & 16.* Molin. Vasq. Less. contra Leyman. & alios a-

U u 3

pud

puđ Lessium fatentem hujus sententiae probabilitatem. Probatuř: quod te non cooperante, alius æque, ac tu noceret, non impedit, quo minus tu hic, & nunc sis vera) injusta damni causa de- liberata & efficax, ergo non impedit radicem obligationis restituendi: nullius enim operatio justificatur exinde, quod alij id ipsum injuste egissent, aliàs fur non peccaret sciens se furante alios fur- zuros.

Dico tertio ex causis negativè coo- perantibus ea solum obligantur restituere damnum ab alijs illatum, quod ex officio, aut contractu tenebantur impe- dire, secus impedire obligata ex mera

charitate, Lugo num. 99. cum pleris- que Theologis ex S. Thom. hic q. 62. Art. 7. ad 3. contra Cajetan. & paucos obligantes etiam postremos ad restitutio- nem. Probatuř: quod ubi est obliga- tio impediendi damni ex mera charitate, damnificatus nullum habet jus strictum, ut damnum impediatur obligatus duntaxat impedire ex mera charitate, aliàs jam obligaretur impedire ex Justitia stricta contra suppositum, ergo omittens im- pedire non violat ullum jus strictum, sed solius juris stricti violatio est radix obligationis restituendi, quod accidit duntaxat in obligato ex officio, aut con- tractu.



§. II.

Quæ causæ ex cooperantibus teneantur totum dam- num, aut solum partem reparare?

330. **C**um obligatio restituendi radi- cetur in influxu injusto causæ positivè aut negativè cooperantis, con- sequens est, quod restitutionis damni quantitas sit proportionanda influxui, quem delinquens exercet in damnum, radix siquidem ex delicto adæquata est causalitas damni, ergo quanta est cau- salitas tantum proportionaliter est resti- tuendum, proinde totum, sive in soli- dum quando cooperans suâ causalitate totum damnum attingit, etsi causalitas fuerit partialis physice (moraliter enim

tunc æquivaleret totali Lugo num. 84. Par- tem verò, quando causavit partem dun- taxat damni, Molin. Disp. 734. Laym. L. 3. tract. 2. c. 6. num. 1.

Ad præsentem quæstionem triplex est sententia prima obligans in solidum omnes concurrentes in totum dam- num (uti fit quando hoc est individu- um) etsi concurrant partialiter partiali- tate causæ, ad partem verò, nempe qui- vis suam ex concurrentibus partialiter partialitate effectus, prout accidit, quando damnum est divisibile, ita com-
muniis

munis cum Less. L. 2. c. 13. dub. 4. Molin. Laym.

Secunda negat teneri ad totum, sed solum ad partem damni etiam indivisi ex pluribus ad id concurrentibus partialiter partialitate causæ.

Tertia cum Lugo *Disp. 19. à n. 82.* distinguit obligans singulas in solidum, quando ita concurrunt partialiter, ut quævis illorum poneret damnum totum sufficienter etiam absentibus alijs, si secus, subdistinguit: vel enim causa partialis ita cooperatur damno, ut se sola non sufficienter id ponat, nec alias concausas ad id moveat, eaque non cooperante adhuc aliæ causæ damnificarent, nullâ aliâ causâ subrogatâ in locum non cooperantis, obligatur solum ad partem, ad totum verò, si sine illa verè damnum non fieret, licet se sola sufficienter non damnificet, qualiter concurrunt fures efferentes cistam gravem, quam nullus seorsim portaret.

331. Dicendum est, licet tertia sententia sit practice rata, prima tamen mihi videtur probabilior, quam quatuor comprehendendo Regulis. Prima est, quod non solum is, qui citra ullius cooperationem, seu ut causa principalis & totalis unica causat totum damnum, sed etiam quævis causa cooperans ita influens cum altera, ut hac non adjuvante totum damnum adhuc existeret ab illa sola, debet integre restituere (supposito) quod concausa nolit, aut nequeat restituere partem suam.

Regula secunda cooperans partialiter partialitate effectûs tantum, tenetur præcisè restituere partem damni à se illati.

Regula tertia, quando cooperans ita concurrat partialiter partialitate causæ, ut sine eo totum damnum impeditur, quisvis tenetur in solidum non absolutè, sed conditionate, nempe in defectu aliorum non restituentium.

Regula quarta, quando cooperans concurrat partialiter partialitate causæ tantum, seu ita, ut influat in totum damnum cum alijs, obligare totum reparare alijs suam partem non reparantibus, etsi totum damnum sine ejus influxu existeret dependenter à reliquis absque alia nova causa superaddita.

Probatum conclusio ex præmissis principio *num. 330.* quod tertia sententia probabiliter applicat, at probabilius applicatur primæ sententiæ, prout à nobis quatuor hisce Regulis comprehensæ, vi enim Regulæ secundæ causa damnificans attingit sua causalitate solum partem damni, vi autem Regulæ primæ, & tertiæ & quartæ totum damnum, & quidem vi primæ secundum omnes, vi tertiæ autem, quod licet physicè nullâ illorum ponat totum damnum, quævis tamen ponat moraliter totum, quævis enim suum concursum denegando, quem ex Justitia denegare tenetur, impediret totum damnum: hinc probatur ulterius etiam quarta Regula, quod etsi singularum causarum influxus sit exiguus quævis tamen juvat ad totum damnum. E. g. quisque miles auxiliatur Urbis expugnationi non tantum ratione partis suæ, sed etiam partis aliorum, nullus enim miles inferret damnum etiam partiale, nisi alij essent associati, ergo Socij mortaliter inferunt illud damnum
partia-

partiale; quod quisque miles physicè causat, ergo quisque præter damnum à se physicè illatum partialiter moraliter influit in totum damnum ab alijs physicè causatum, ita Laym, *L. 3. tract. 2. c. 6. num. 5.* cum alijs contra Vasq. Molin. Less. Lugo, &c. approbatos à Gormaz *Disput. 17. num. 809.* eo quod singulorum militum influxus in damnum physicè à cæteris illatum sit debile ut vix vel parum censeantur influere, proinde vix aut parum debeant restituere ultra id, quod ipsi acceperunt, aut destruxerunt; quæ excusatio inquit, non habet locum in duce, alijsque, qui intentione, & directione causa sunt totius damni, sine quibus damnum non fieret.

Ex his infero primò singulos teneri in solidum reddere ablata in cista ab eisdem sublata, quam si vel unus abfuisset, nequivissent auferre. Secundò singulos Suffragantes, & Consiliarios debere reparare totum damnum, quando secluso unico eorum consilio, fuisset damnum impeditum. Tertiò id ipsum dicendum, quando duo fures ingrediuntur domum ita, ut nullus sine altero ingrederetur.

332. Dicendum secundò ex causis negativè concurrentibus obligatis ex Justitia impedire, si est unica, tenetur in solidum ad totum damnum, quando impedire potuit, non impedivit, partem verò, si hanc duntaxat impedivisset, si nihil impediret clamando, &c. penitus deobligatur. Quando plures sunt ex officio obligati resistere, clamare, singuli tenentur ad totum, si possunt singuli impedire damnum, & nullus impedit: si ex pluribus E. g. duobus, neuter sufficit, sed uterque requiritur,

ex utroque culpabiliter omittente, uterque obligatur in solidum, utriusque enim incumbit alterum excitare ad damni impeditorem, &c. Lugo *num. 112.*

333. Quæres utrum dubius an ex sua cooperatione E. g. Consilio, vel Suffragio, vel Mandato, &c. damnum secutum sit, restituere teneatur? Respondeo probabilius affirmative cum Sanch. *L. 2. Disp. 41. n. 17. & L. 1. moral. c. 10. num. 44.* contra Petrum Navar. Medinam favente jis aperte S. Thom. *hic q. 62. Art. 7. in fin. corp.* dicente: *tunc solum teneri Consiliarium, &c. ad restitutionem, quando probabiliter existimare potest, quod ex suo Consilio fuerit subsequuta injusta acceptio, &c.*


Probatur: in pari dubio Rei, & innocentis est melior conditio innocentis, quam Rei, sed in casu præsentis certum est, quod tu injustum E. g. Consilium dederis, & certum est, quod alter damnum passus sit, proinde habeat jus certum exigendi restitutionem à causis efficaciter causantibus damnum, dubium verò est, an tuum Consilium fuerit hic, & nunc efficax, vel non, consequenter etiam dubium est ex parte innocentis, an habeat jus à te exigendi restitutionem, ergo in hoc pari dubio est melior conditio innocentis, secùs possidentis, uti Adversarij asserunt, siquidem constat possidentem esse Reum.

Dices cum Molin. *Disp. 736. n. 6.* Lugo *num. 22.* obligantibus solum ad restitutionem partis pro ratione dubij: pro quantitate causalitatis, quantitas damni est restituenda, ergo in dubio quantitatatis influxus pro ratione dubij est quantitas damni restituenda, sicut si

constat unum ex tribus, quorum quis de se causam sufficientem damni dedit, damnificasse, & nescitur quis, singuli debent restituere plus, vel minus pro ratione dubij: aut si res aliena sit apud te ad unum ex tribus spectans, perseverante dubio est res dividenda inter eos, dum nequit constare, cujus sit ex illis.

Respondeo concessio antecedente distinguo consequens pro ratione dubij est quantitas damni restituenda, nisi præsumptio sit omnes partialiter partialitate causæ in totum damnum influxisse concedo consequentiam, quam nego stante tali præsumptione, uti constat in casu primæ instantiæ. Ad instantiam

alteram dico, cum res ad unicum ex tribus spectet, neque præsumatur pro ullo præ alijs, non est æquior modus restituendi, quam rem partiendo pro ratione dubij. De cætero ambæ oppositæ sententiæ sunt in praxi securæ. Quod si dicas argumentum nostrum probare, quod proles illegitima in casu prolis dubiæ habeat jus exigendi alimenta à parentibus dubijs, est enim melior conditio conditio innocentis. Respondeo ex dictis à n. 107. Disparitatem esse magnam, quod nequeant dari plures Patres partiales secus in nostro casu plures causæ damnificantes.



§. III.

Corollaria practica de causis ad damnum cooperantibus.

334. **C**olligitur primò mandantem obligari ad restitutionem totius damni mandati, nisi ante executionem serio revocet mandatum, ita ut mandatarius prudenter credere possit revocationem (si nequit, potest tamen moneri damnificandus, est obligatio ex Justitia monendi etiam cum pari damno, secus cum longè majore, aut alioris Ordinis, Lugo *Disp. 19. num. 31.*) aut nisi mandatarius non à mandato, sed aliunde motus damnificet. Ratio: quia mandans est causa efficax totius damni, dum vi mandati fit executio, qualiter non fit, si mandatarius exequitur aliunde motus, aut scit revocationem man-

dati, quam si nequit intimare illi, debere damnificandum moneri à mandante etiam cum pari damno, aut non longè majore probetur; quod cum tanto suo damno debeant illatum damnum ex Justitia reparare, ergo etiam ante illatum monendo præcavere, nam in pari causa melior est conditio innocentis, ita omnes. Ex hoc principio calumniator vel falsus testis etiam cum suo æquali periculo debet retractare, quando est profutura retractio.

Amplia corollar. ad casum illati damni non demandati, dummodo id sit moraliter inseparabile à demandato damno, ut si quis mandet Petrum graviter

X x

san-

fauciari, mandatarius tamen occidat, aut iussus occidere Petrum, per errorem occidat Paulum, tunc enim in morali aestimatione se habent per modum unius, ergo sequitur damnum efficaciter vi mandati, secus si mandatarius excessit limites mandantis excessu facile separabili, ut si iussus verberare occidat, aut furari fræaum furetur simul equum, &c.

Ex his facile patet, quod si non mandasti nocere, sed post nocumentum in tui gratiam proximo illatum ratum habuisti: etsi pecces contra iustitiam approbando injuriam, non tamen teneris ad restitutionem Lugo *num.* 32, contra Navar. quia nihil influxisti in damnum ratificatione tuâ, unde ratihabitio solum relate ad eos actus, qui in suo valore pendent à voluntate ratificantis fictione juris retrahitur, ut in contractibus, & de similibus intelligitur Regula *jur.* 10. in 6. *ratihabitionem retrahit, & mandato non est dubium equiparari.* Canis: ad hanc Reg. apud P. Püttner *in Maximis juris* notat eam procedere non tantum in contractibus, sed etiam actibus judicialibus. Porro ut habet *R. l. 9. in 6. ratum quis habere non poterit, quod ipsius nomine non est gestum.* Quid autem sit nomine nostro aliquid geri videtur. Püttner ad hanc maximam, ubi etiam reperies tres ejusdem limitationes.

335. Corollar. secundum, ut scias, an, & quando consulens debeat restituere, distinguendum est triplex genus Consilij: Primò ut Consilium exquiratur, & detur de mera veritate E. g. an hic aut ille contractus sit legitimus, aut actio licita, &c. Secundò: si insuper consulens proponat necessitatem, commoditatem, &c. quæ ex damno alteri

inferendo v. g. homicidio sperari potest, aut proponat modos, seu instruat, quibus valeat actio in opus redigi. Tertio ut Consilium situm sit in meris precibus, blanditijs, minis, aut promissis inductivis alterius ad conflandum maleficium: Consilium tertij generis solum movet voluntatem, priora duo intellectum motivis imbuunt, & his mediantibus impellunt voluntatem.

Certum est primò consulentem quovis modo ex relatis ad nihil teneri, si alter damnificat non motus à Consilio. Certum est secundò obligari consulentem ad reparationem totius damni dati per Consilium cujusvis generis, quando executor damni id exequitur motus à Consilio, idque procedit, licet Consilium primi generis sit datum ex crassa ignorantia asserendo rei falsam veritatem, aut illicitam honestatem in damnum tertij, quando persona consulens est talis: quæ aut ex officio tenetur consulere, aut ratione status vel muneris sui proficetur peritiam in ea re, circa quam dat Consilium, uti sunt Doctores, Consiliarij, Medici, Chyrurgi, Advocati, Confessarij & Similes. Ratio, quia Consilium procedens ex crassa ignorantia in materia gravi est culpa Theologica gravis, quam fundare obligationem restituendi, certum est Molin. *Disp.* 730.

Si Consilium ante illatum damnum revocetur, deobligatur restituere consulens, quando Consilium fuit petitum de veritate, seu natura rei præcisè E. g. de licitate contractus, bonitate Medicinæ, Justitia litis, &c. Lugo *num.* 36. quia ut sic consulens teneatur restituere, debet accipiens Consilium

si licet moveri auctoritate consulentis, atqui nequit moveri post revocatum Consilium, cum exiade constet alteri, quod consulens non amplius idem sentiat de contractu, &c.

Hinc pariter sequitur deobligari post revocatum Consilium situm in precibus, promissis, minis, &c. ita cit. Lugo, Lessius, quia Consilium tale eatenus movet, quatenus exequens illud credit rem fore gratam consulenti, sed post scitam revocationem exequens illud nequit credere rem fore gratam consulenti.

De Consilio secundi generis, nempe de proponente utilitatem, viasque, & modos rem consulendam exequendi est probabilior sententia obligans restituere, etsi Consilium hoc revocetur, Lugo num. 37. Molin. *Disput. 731.* Less. contra Petrum Navar. Salon. Salmant. Reginald. &c. arguentes à paritate mandati revocati ad Consilium revocatum proinde deobligantes à restitutione, si consulens revocet Consilium tale. Ratio probabilioritatis est: quod etiam post revocationem Consilium hoc, ut est moraliter causa damni, non destruitur, Consilium enim hoc ut causans damnum, seu ut movens malefactorem est objectivum consistens in utilitate, convenientia, vel necessitate, modovè exequendi à consulente prepositis, sed etsi hoc suum Consilium per oppositam doctrinam revocet consulens, si tamen malefactor adhuc eo inductus infert damnum, non destruit suum Consilium ut causans damnum quia non destruit propositam utilitatem, vel convenientiam vel modum exequendi, &c. atque proposita utilitas, &c. causat damnum ergo.

Est ergo disparitas inter Consilium, & mandatum purum (si enim est admixtum Consilium, est par ratio talis mandati cum Consilio) quod mandatum non detur objectivum, sed formale tantum, influit enim præcisè propter perseverantem mandantis voluntatem, quæ cessat post seriam revocationem, Consilium verò formale non influit, seu perseverans consulentis voluntas in casu hujus Corollarij, sed motivum utilitatis, vel voluptatis operis suasi, vel necessitatis ad se vindicandum, vel ad infamiam evitandam per abortum, vel modi tuti & occulti furandi, quod motivum non cessat per Consilij revocationem, quapropter consulens abortum fit irregularis, etsi ante secutum conatus sit foeminam revocare ab eo procurando, ita Doctores nostræ sententiæ contra Patronos oppositæ: è contra consulens duelum Petro, in quo sic occiditur, probabiliter non fit irregularis, quia irregularitas ex Consilio homicidij in jure inflicta annectitur solum Consilio directè tendenti in occisionem, Lugo n. 40. contra Suar. tom. 5. de censur. Disp. 44. sect. 3. num. 18.

Videns Consilij revocationem nihil proficere tenetur ex Justitia secundum nostræ principia per num. 334. movere illum, cui damnum imminet, ut dictum est de mandante; sententia negans obligationem monendi ex Justitia, sed solum ex charitate est conformis suis principijs, juxta quæ negat obligationem restituendi revocato ex parte consulentis Consilio.

336. Corollar. tertium omnis, & solus consentiens peccat contra Justitiam

X x 2

cum

cum restituendi onere, cuius consensus hic, & nunc influit in damnum, unde quando omnium consiliorum vota requiruntur ad decisionem aliquam, si hæc est injusta, omnes in solidum debent restituere, quod etiam procedit, quando certus numerus suffragiorum sufficit, & suffragia dantur secreto, secus si dentur vocaliter, & publicè, tunc enim vorum posterius numero sufficiente pro decisione, licet sit injustum, non tamen obligat restituere, nisi hic suffragator possit reliquorum suffragia inverttere, prout tenetur ex *Justitia*, dum potest, ergo omissione suâ est causâ totius damni, proinde obligatur restituere, secus dato suffragio post numerum sufficienter decisivum, quando nequit reliquorum vota inverttere, quia tunc ejus suffragium est inefficax. Ratio Corollarij est, quod omnis, & sola efficax causa damni debeat restituere, sed omnis & solus suo consensu influens in damnum est causa efficax damni, prout exposui in decursu hujus Corollarij.

Hinc si quis se absentat à Consilio ad subterfugiendum suffragium, vel præsens dare recusat, quando habet certitudinem, quod suâ præsentia aut suffragatione nihil prorsus sit profuturus, non peccat se absentando, aut non suffragando, quia *Justitia* officiales obligat solum impedire damnum cum effectu Lugo *num. 68.* contra aliquos, quorum sententia communiter est vera, unde negat Lugo eam excusationem admittendam esse nempe sub prætextu, quod suum suffragium non proderit, nisi sit evidentissimum non profuturum. De cætero sæpe fit, ut ex unius libere, & cordate prolata sententia in publico plu-

res moveantur ad mutandam sententiam, aut fiunt cauciores imposterum, aut pusillanimo animantur ad pugnam pro veritate deposito timore, idcirco rarissimè quis potest licitè se absentare ex hoc capite.

Si dubites, an suffragium à te datum fuerit efficax te probabilius non obligari sequitur ex *numero 333.* si suffragium tuum præcessit, fuissetque damnum illatum sine eo per alterius suffragium te non esse liberum à restitutione discis ex *conclusionione 2. num. 329.*

337. Corollar. quartum Palpatorem de quo *num. 328.* habere se instar consulentis, ut patet ex ejus descriptione, proinde non minus teneri in solidum, quam consulentem, quando Palpatione suâ, quovis ex dictis illis modis excitat executorem ad damnum. Lugo *Disp. 19. num. 70.* qui *num. 38.* recitè ex Vasq. Præmissis, quod movens ad nocendum laudibus, vel adulatione, vel opprobrijs, esto hæc & illa revocet, si alter adhuc moveatur laudibus, &c. ad exequendum, non excusari à restitutione per probata *num. 335. vers. de consilio secundi generis.*

Receptor damnificatoris, quod obligetur restituere est consensus omnium, dum aliquo ex modis recensitis *num. 328. v. recursus, &c.* est causa damni inferendi aut illati non compensandi, ut si furem faciat animosorem, aut securiorem ad furandum, &c. Lugo *num. 71.* ad hoc genus causæ reducens Advocatos, & quosvis alios injustè in judicio defendentes, aut excusantes: item belliduces, quorum protectio militum est occasio, ut hi spolient homines, ac spolia injusta non reddant.

Verùm

Verùm non quisque furem, &c. recipiens censetur cooperari damno, consequenter nec fit obnoxius restitutioni sed quando receptio est expressa, aut tacita promissio præbendi recursus, aut securitatis, vi cuius tutius furetur, furtoque ablata reponat: unde furem ut Amicum, vel ut consanguineum recipiens, vel quia miser est, aut quia domus ejus patet omnibus adventantibus per accidens se habet ad damnum ita Sporer in Dec. tract. 4. c. 3. n. 38.

Ex simili ratione cit. Lugo liberat à restitutione Advocatos defendentes in iudicio furem in jis, in quibus ipse fur potest se licitè tueri, uti post in crimine occulto nondum semiprobatò, aut quando vexatur injustè non servato juris ordine, non enim defendunt ut furem, sed ut habentem jus se tuendi, si exinde impediatur restitutio, non Advocato, sed malitiæ furis imputatur. A fortiori deobligatur à restitutione abscondens furem quæsitum ad supplicium, modo ei non det spem ulterioris similis Adjuutorij, quia occultatio hæc de se tendit præcisè ad eximendum illum vitæ periculo, Lugo n. 72.

Excusatur etiam recipiens adactus à metu gravi, ut si latro recipiatur, quia Dominus rei ablata nequit esse rationaliter invitus, Lugo num. 74.

De participante est certum primò, quod si non participet in actione ablativa, sed juvat absumere furtum, debeat reddere quod absumpsit. Certum est secundò si participet in actione causativa damni, sive physicè immediatè, aut mediatè, sive moraliter cum peccare contra Justitiam cum obligatione restitutionis, & quidem totius damni, si par-

icipet ut executor, aut alio modo ex adductis n. 328. vers. participantis nomine, concurrat, ita ut sine hujus auxilio, aliove huic subrogato alter non furaretur, aut damnicaret, secus si tua cooperatio se habeat materialiter, ut si sine ea alter per se sit sat determinatus ad maleficium, faceretque sine ope tua, ut si teneas scalas, per quas ascenderet ad furandum, etsi eas non teneres; si ancilla à Domina vocata juvat portare furtivam cistam, quam furaretur, & tolleret sine ejus ope, si famulus Usurarij numeret pecuniam dandam ad usuras, aliàs ab ipso Domino numerandam, non enim cooperatur usuris, sed mutationi, Laym. L. 3. tract. 2. c. 5. n. 5. & 6.

Limita ut metus gravis excuset ab injustitia cooperantes actioni in se-alteri non noxiæ, & sic excusantur Christiani in trementibus turcicis remigantes adversus Christianos, Rustici militaria spolia injusta avehentes, aut pecora inique sublata aliò pellentes: hujusmodi enim actiones non sunt intrinsece malæ, nequè Domini possunt esse rationaliter invitæ Lugo n. 74. nullus autem eos excusat ab injustitia, & restitutione concurrentes ad actiones magis propinquas ad innocentis damnum ordinatas, ut si explodant tormenta, aut bombardas in innocentes, hoc enim est intrinsece malum, cum hoc sit formaliter occidere innocentem.

Ex his colligitur, quod non quævis cooperatio sit illicita, & contra Justitiam, etsi alter eâ abutatur contra Justitiam, ut ergo discernas, quando cooperatio tua sit injusta, sequens Regula observanda, nempe est inspiciendum, utrum peccatum imminet propinquè, vel

non propinquè idque sit malū intrinsece, aut solūm ex præcepto positivo, si peccatū sit malū intrinsecè in propinquo, subministrans necessaria ad illud non excusatur, licet alij te non subministrante subministrabunt, sic nequis dare gladium furioso, quamvis hæc omnia alij præstabant, te deficiente: si autem non in propinquo peccatum etiam intrinsecè tale sed duntaxat providetur posse fieri nempe, quod alter abuti possit ad peccatum subministrandis de se aptis servire ad finem alium licitum petenti talia licitè subministrantur, quia dubium est, an petens sit ipsidem abusus, in dubio autem nemo præsumendus est malus. Si autem prævidetur abusus, adhuc potest subministrari, quando prævidetur etiam bene usus, quia tunc subministrans intendit finē licitum: secluso autem omni fine licito ex parte abufari, & simul remota omni causa rationabili ex parte subministrantis, hic nequit licite subministrare, quia cooperari etiam remote absque omni causa ad peccatum est illicitum. Si demum peccatum in propinquo imminens non sit intrinsecè malum sed ex jure positivo, ut esus carniū &c. potest quis licitè subministrare carnes petentibus eas ad impediendum suum grave incommodum: propter hoc Caupones excusantur carnes suppeditando similibus, Ecclesia enim non præsumitur eos tunc velle obligare, sicut non obligat ad missam propter vitandam molestiam non levem.

338. Corolar. Quintum cum ex n. 332. constat solos ex officio obligatos impedire proximi damnum obligari ad restitutionem totius damni, aut partis, si non impediunt totum, aut partem

damni, dum possunt impedire totam, aut partem duntaxat, sequitur, primo obnoxios esse restitutioni totius damni, Gubernatores, aliosvè Magistratus, dum eorum culpa patiuntur subditi damna per latrocinia, prædationes, &c.

Sequitur secundò simili obligatione teneri assessores, Consiliarios, Canonicos non se opposcentes injustæ constitutioni, aut electioni. Tertio hinc oneri subsunt Tutores, Curatores, Administratores] bonorum &c non impediētes damna pupillorum, minorum Ecclesiarum. Quarto etiam illi famuli, quibus alicujus rei cura, aut clavis est commissa pro tunc, hæcque obligatio eis incumbit non solūm respectu extranei, sed etiam Domestici furis, si autem cura, aut clavis alicujus rei pro tunc non est commissa famulo, omnes teste Lugo n. 105. consentiunt eum non teneri ex Justitia alium confamilium accedere à furto. Censetur autem cura specialis committi domūs præfectis, æconomis cocis, cellarijs, granarijs quoad res illis commissas, unde famulus Dominum comitans habet curam rerum, quos secum fert Dominus.

An famuli, quibus cura non est commissa advertentes exteros furati, si non impediunt peccent contra Justitiam, vel solum contra caritatem sine onere restitutionis, sicut dictum est, si non impediunt domesticos, est sub lite; deobligabit eos Molin. *Disput. 735. n. 5.* proinde liberat à peccato injustitiæ, at probabilius reos justitiæ condemnat cum obligatione restitutionis Lugo n. 106. post Less. *L. 2. c. 13. n. 75.* quia omnibus domesticis aliqua domūs cura adversus extraneos committi censetur, etsi non

cum

cum speciali vigilantia, dum assumuntur ad obsequium, unde etiam famulus inquit Lugo ex rebus domesticis furto congregans, ut cum jis aufugiat, computrandus est inter extraneos, debet talem quisque famulus impedire.

Sequitur quartò Custodes teloniorum, sylvarum, &c. teneri ad refusionem damnorum, quæ ex eorum negligentia sequuntur. Molin. *Disp.* 739. n. 3. cum tamen non sint causæ principales, obligantur solum in defectum damna inferentium.

Adverte tamen quod ordinarie etiam ex officio obligati, aut ex contractu impedire damnum alterius non soleant officium assumere, aut contrahere pro circumstantijs, in quibus est periculum gravis proprii damni majoris, aut æqualis in rebus fortunæ, famæ, vel honoris (nisi specialiter id sit deductum in pactum, aut natura pacti secum ferat, prout fert pactum militandi, officium parochinale exercendi curam animarum pro tempore pestis) sequitur, quod omittere in tanto periculo non teneatur restituere Molin. *Disp.* 735. n. 1.

§. IV.

An determinato facere majus damnum liceat consu- lere minus?

339. **D**ico primò supposito quod quis sit firmiter determinatus ad majus malum, ita ut ab eo dimoveri non possit ullis rationibus, potest ei dari Consilium per modum docentis explicando illi majorem gravitatem unius mali præ alio, quando decrevit utrumque aut alterutrum inferre, sive eidem, sive diversis, ita Lugo *Disput.* 19. n. 46. Ratio, quia hoc aliud non est, quam docere veritatem, quod licitum est ex intentione evitandi majus malum cum speculativa veritas de se non alliciat ad majus malum faciendum.

Dico secundò stante determinatione fixa ad majus malum, fas est positivè suadere minus malum eidem personæ in-

ferendum, sive minus sit formaliter aut virtualiter inclusum in majori, sive non. Ita multi cum Sanch. *L. 7. matrim. Disput.* 11. contra Laym. *L. 2. tract.* 3. c. 13. multosque alios.

Probatum primò ex Aug. *L. 2. de Adulterinis conjugijs c. 14.* ubi volenti occidere uxorem suadet, ut ducat concubinam, sicque adulteretur potius, quam ut occidat uxorem: *utrumque, inquit, nefarium est, neque debet unum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare, sed si ille facturus est malum, faciat, quod minus est, nempe adulterium cum concubina ne occidat uxorem: Ex ly faciat* constat contra Adversarios Augustinum non lo-
qui

qui permissivè, seu non significare comparativam permissionem, quasi si alterum committendum sit, se potius permissurum adulterium, sed significat Consilium minoris mali, nec virtualiter inclusi in uxoricidio, utpote toto genere diverso.

Probatum secundo dum positivè consultitur minus peccatum non consultitur prout est in se sed ut est exclusivum majoris peccati, non est malum, sed honestum, cum honesta sit carentia excessus, quo peccatum majus superat minus etiam hoc nec virtualiter continens. Confirmatur per Adversarios fas est consulere minus malum formaliter, aut virtualiter inclusum in majori, ergo etiam minus malum etiam non formaliter aut virtualiter sed solum æquivalenter inclusum in majori, quodvis autem peccatum est æquivalenter in majori, hoc enim præter gradum adæquativum malitiæ minoris continet excessum malitiæ, unde etsi suadendo minus inducat in peccatum formaliter, aut virtualiter novum, non tamen inæquivalenter novum, quod sufficit, ut consulens non censeatur Author peccati, cum contra DEO perinde sit peccare hoc, vel illo peccato per omnia in malitiæ æqualib⁹. Est igitur licitum obfirmato ad adulterium suadere fornicationem, obfirmato ad occidendum, mutilationem E. g. brachij, &c. volenti sodomiam aut adulterium, hoc præ illa, &c.

340. Dico tertio quando majus, & minus malum est inferendum diversis, jã que malefactor decreverat Paulo inferre majus nihil cogitans de minore malo inferendo Petro, certum est licere tibi dehortari illum, ut non faciat

majus malum E. g. non furetur equum, quia Consilium tuum respectu minoris mali habet se pure permissivè, idque licitè, dum impedire non potes.

Amplia conclusionem cum communiore sententia eo casu etiam fas esse consuli in communi, ut potius malefactor noceat alicui alteri nullum in particulari nominando E. g. relinque hunc pauperem, non deerunt alij ditiores, hoc enim Consilium directè solum excludit à furto majore, non autem in communi proponens alia furta forte non cogitata moraliter influit in eadem, cum etsi hæc furi non suggeras, hic statim de alijs cogitaret, dum dissuades illi furtum majus Lugo num. 49. merito docens oppositum num. 47. scilicet nefas esse consulere ullo in casu (nisi minus sit de genere eorum, quæ alter subire ex charitate tenetur ad vitandum majus proximi damnum) ex binis propositis etiam per modum docentis, ut E. g. potius minus malum inferat Petro, quando de hoc nihil cogitavit malefactor, aut de eo cogitans decreverat majus inferre Paulo, quia tunc non pure explicat veritatem, nempe esse minus malum furari Petro, quam Paulo, sed cooperatur ad minus malum tollendo in malefactore, vel ignorantiam, seu incogitantiam de furto ex rebus Petri, aut impossibilitatem Petro furandi, videlicet decretum statuens furari soli Paulo (hoc stante est impossibile furari Petro minus) quod decretum, & ignorantia se habet instar portæ claudentis res Petri, quam portam aperit docens præfato modo veritatem, atque aperiens ut malefactor possit furari, cooperatur ad furtum cum obligatione restituendi, &c.

§. V.

Quo ordine causæ cooperantes obligentur restituere?

341. **C**onvenit inter Doctores autem omnes obligari illum apud quem res furtiva extat in se, vel ejus pretium, aut in æquivalente, obligatio enim ratione Rei alienæ est summa. Lugo *Disp. 19. num. 19.* ubi Molin. Less. extendunt ad eum, qui rem ad se pervenientem injustè absumpsit, etsi non sit factus locupletior (dum aliæ causæ non erant eo principales) quia tunc est causa Principalis exequens ultimam Rei destructionem, causa autem principalis exequens tenetur restituere ante omnes alias. Lugo *num. 120. & 126.* nisi causa exequens fecerit executionem ultimo destructivam ex mandato alterius, quia tunc executor est causa instrumentalis physica, mandans est causa principalis moralis, sed principalis moralis tenetur prius restituere, quam physica instrumentalis, ergo prius tenetur mandans, & quidem contra Molin. etsi executor consumens rem injustè usurpatam non accepisset à mandante in præmium delicti, quia ut arguit Lugo *num. 191.* mandans adhuc est causa principalis, quocumque titulo det executori, nisi ut rectè limitat Lugo *num. sequent.* executor cesset esse causa instrumentalis in Rei absumptione, seu ultima ejus destructione, ut si mandatum habeat accipiendi, secùs absumendi, quo casu ab-

sumens facit id suo nomine, proinde titulo injustæ actionis talis est causa principalis.

342. Hoc præmissis Vasq. apud Lugo *num. 123.* comparans ipsas causas cooperantes injustas inter se tres Regulas statuit. Prima est primo loco obligari causam physicam damni executionem, quæ non concurrat ut instrumentum causæ moralis principalis, alios concurrentes ad idem obligari secundo loco, seu in defectum hujus, nisi ut limitat Haunold. *tract. 2. n. 381.* ex Lugo *n. 124.* exequens exequatur damnum fide bonâ (quia tunc executio ut injusta non est libera) aut causa moralis fraude induxerit ad damnificandum, etsi enim exequatur nomine suo damnum, & non ut instrumentum inducentis, quia tamen injuriosè consulens eum conjecit in obligationem restituendi, obligatur propter hanc injuriam servare indemnem.

Ratio Regulæ, quod causæ morales respectu physicae suo nomine exquentis sint minus principales, physica autem principalis; hujus enim negotium geritur, proinde suscipit in se totum onus restituendi. Nomine autem executoris intelliguntur omnes illi, qui immediatè influunt physicè in damnum Molin. *Disp. 737. n. 4.* Ex hoc.

Y y

Sequi-

Sequitur primò si in defectum executoris à reliquis cooperantibus sive moraliter (ut consulens , adulator , non obstant , &c.) sive physicè mediàtè (ut instrumenta conficiens , tradens , scilicet applicans , &c.) restitutio fiat , debet postea executor jis restituere totum è contra facta per executores restitutione : cæteri nihil tenentur etiam ipsi executori refundere , Molin. cit. consulens igitur , rogans , docens , &c. concurrunt solùm secundariò velut armans ac instrumenta præbens furi , Lugo *num. 124.*

Sequitur secundò Princeps bonâ fide indicens bellum , aut tributum injustum , vel quoad substantiam , vel quoad modum , nempe non observatâ inter subditos proportionem inductus à Consiliarijs , hi si malâ fide , aut ex crassa ignorantia consuluerunt , tenentur primò loco , ita Haunold. quia Principem injustè coniecerunt in onus restitutionis. Huc revocat Advocatos , Medicos , Confessarios , Consilium injustum dantes , additque accipientes pretium pro Consilio teneri non solùm de dolo , sive ex culpa lata , sed etiam de levi , profitentur enim notitiam rerum , quas consulunt , è contra teneri de sola culpa lata non profitentes notitiam rerum supra alios.

343. Regula secunda omnis causa principalis , etsi sit moralis obligatur primo loco ante alias etiam physicè executivas , si hæc tantum operata sunt , ut instrumenta illarum , ejusmodi causa principalis est causa cogens alium ad furandum imperio , Authoritate , minis , proinde tenetur primo loco , nisi apud furem res extet , vel sit factus ditior , aut

propriâ Authoritate furtum absumat , tunc enim est causa principalis , ut dictum est ante primam Regulam. Causa etiam principalis censetur convitijs impellens alium ad delictum , est enim quædam coactio , quia impulsus facit , ut convitijs effugiat. Item omnis jubens aut rogans , ut ejus nomine delictum fiat , quia etsi non cogat , quia tamen vult suo nomine fieri , assumit in se totum onus restituendi , etsi executor sit mercede conductus , adhuc enim est instrumentum Domini , ut patet in famulo mercenario. Lugo *n. 126. & sequent.* amplians *n. 128.* contra Vasq. licet jubens non sit superior executoris , quia quod executor non sit subditus jubentis probat quidem quod non exequatur æque conductus , ac exequitur subditus , facit tamen æque nomine jubentis suscipientis in se totum onus , ergo primo loco non tenetur exequens , etsi non subjaeat jubenti , & secundo loco jubens sed hic primo loco obligatur.

344. Regula tertia : reliquas causas non executivas nomine suo , neque principales respectu exequentium obligari æque principaliter in defectu principalium , ita Less. Molin. Haunold. nempe quando ut observat Lugo *n. 130.* una causa non subordinatur alteri : ablatâ enim subordinatione nulla apparet ratio Ordinis in obligatione restituendi , cum nec consulens operetur per laudantem vel consentientem vel è contra.

345. Etsi autem omnes positivè cooperantes æque immediatè in sensu Regulæ teneantur , non tamen æqualibus portionibus. Haunold. *tract. 2. n. 387.* quia est inæqualis , seu major vel

vel minor influxus, unus enim consulit furtum, alter scalas admovent, tertius vigilat, &c. sed vigilans minus concurrat, quam scalas admovent, hic minus, quam consulens, aut modum furandi ostendens, quæ autem sit proportio in hoc pso servanda fateatur certa Regula definiti posse, credit tamen esse illam ipsam, quæ observaretur, si ex summa illa furtiva fieret remuneratio operæ à singulis collata secundum operæ æstimationem.

Ex his facile colligitur, quod quando sunt plures causæ executivæ partialiter partialitate effectus damnificantes, ut dum plures citra omne Consilium vastant vineam singuli decerpando motu proprio botrum, quisque tenetur ad restitutionem damni solum à te illati, etsi cæteri non restituunt damna à se illata Haunold. num. 384. subdens quando plures communi Consilio & Assistentia concludunt damnificationem v. g. occisionem Petri, prior hujus occisor non tenetur solus, sed etiam reliqui, quia tunc tuo & aliorum nomine damnificat, & se se invicem quasi pro instrumentis constituunt, ut qui prius posset damnificet in suum & sociorum commodum.

346. Dubium restat an causæ negativæ cooperantes comparatæ cum positivis, de quibus in tertia Regula æque immediatè teneantur? Secundò an inter easdem invicem comparatas detur aliquis Ordo uti inter positivas, Lugo & num. 133. ex Vasq. negativas obligat post omnes positivas, quia earum restituendi obligatio supponit damnum à positivis illatum, & nondum reparatum ab his, qui tenebantur impedire, ergo obligatio illorum est hypothetica, nem-

pe si positivæ non restituant. Hæc sententia est practicè tuta, uti & cum Vasq. non agnoscens ullum ordinem inter negativas contra Lugo ponentem sequentem ordinem. Primo loco superiores, Secundo Custodes rei. Tertio testes veritatem tacentes, obligatōque ex officio consulere: est contra Less. L. 2. c. 13. n. 80. ubi Custodem rei particularis obligat ante superiorem E. g. Magistratum, quia hic est solum Custos Universalis ad supplendum defectum particularis.

Respondeo probabiliter post executorem (hic respectu cæterorum est principalis per Regulam primam) omnes causas tam positivas quam negativas obligari immediatè ad restitutionem (nisi una alteri subserviat, ut subservit Custos particularis œonomo Universali, cui nulla res in particulari committitur, sed sola vigilantia supra cæteros, ut negligens impedire tenetur, duntaxat in defectum Custodis particularis) non tamen æqualibus portionibus per n. 345. minus enim influunt negativæ quam positivæ. Ratio prioris partis est ex Regula tertia negante Ordinem inter secundarias causas positivas invicem comparatas, ergo etiam non datur inter positivas secundarias comparatas cum negativis, sublata enim subordinatione etiam in hac comparatione nulla est principalis respectu alterius, nec negativa ulla subservit positivæ.

Pro complemento dictorum nota, quod causa principali restituente secundariæ ad nihil teneantur, sive damnificato, quia jam recepit suam, sive principali, licet principalis in executione fuisset secuta Consilium minus principalis (dummodo vi, aut fraude consulens

Y y 2

non

non induxerit) quia exequendo damnum recepit in se totum, ergo hoc per eam reparato secundaria sunt deobligata; cum solum in defectum principalis teneantur; quapropter si causa secundaria restituit, huic patet regressus ad principalem, quæ secundaria debet refundere totum ab ea restitutum, in defectum autem principalis à reliquis concausis restituens habet jus repetendi à singulis pro rata

Quando ex secundarijs plures æqualiter concurrant, ut plures E. g. executores, vel consulentes, quavis obligatur ad totum, reliquis nolentibus, vel impotentibus cum jure repetendi ab his secundarijs suam partem. Hinc resolvit Molin. *Disput. 737. num. 6.* Lugo *num. 138.* si tres teneantur æqualiter reddere 12. restituente uno integrum in defectum aliorum, reliquis duo debent ei refundere 8. aut si post restitutionem ab uno factam alter ex duobus penitentia ductus vult restituere, debet restituere tua quatuor, ac loco tertij duo, proinde universim 6. quia tenetur æqualiter subire onus cum primo restituente, supponitur enim quisque esse causa totius damni; eo casu casu quisque horum duorum habet jus repetendi duo à tertio.

347. Colligitur autem primò ex hæcenus discussis, quod cum secunda-

ria teneantur tantum in defectum principalis, non statim sint adigendæ ad restitutionem, sed prius explorare debeant, an principalis possit restituere, sitque restitutura, nec ne.

Colligitur secundò, quod, si damnificatus remittat damnum causæ principali, secundaria deobligentur, secus principalis ob remissionem secundarijs factam à damnificato: uti nec condonatio secundariæ uni facta eliberat alias secundarias à sua quota, uti nec, dum plures sunt causæ principales æque primo influentes, condonato uni debito condonatur alijs, sed obligantur ad totum detractâ parte condonata ex Molin. *n. 4. & 5.* Less. *à n. 45.* S. Thom. *hit q. 62. Art. 6. ad tertium & Art. 7. ad 2.* apud quos reperies doctrinam traditam hic à V. pro complemento.

Colligitur tertio, dum agitur de restitutionis obligatione, advertendum primò, an obligatus restituere positivè, aut negativè sit cooperatus: si positivè, oportet discernere, ad quam ex sex recensitis *num. 328.* reducat, postea advertendum est ad doctrinam communem omnibus cooperantibus traditam *n. 329.* ad discernendum autem, an ad totum vel ad partem quis teneatur, relegenda sunt, quæ exposui à n. 330.



DIS-